
9
2-c
27

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
11M F
35

VI. 13. 45.

~~XVIII. 1. 36.~~



9-2.c.27

Digitized by Google

JO. FRID. MAYERI

S. REG. MAJEST. SUEC.

Per Germaniam Suecic. Conſiliarii in Sacris Primarii, Doct. & Prof. Theol. & Eccl. Hamb. ad D. Jacobi Paſtoris

DE FIDE BARONII & BELLARMINI

IPSIS PONTIFICIIS AMBIGUA

ECLOGÆ

Ad Illuſtrem Virum DN.

GERH. VON MASTRICHT.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ex libris Jo. clerici

AMSTELODAMI,

Apud HENR. WETSTENIUM.

CIↃ IↃ C XCVII.

ILLUSTRI VIRO

DN.

GERHARDO

VON MASTRICHT,

JCTO, POLYHISTORI, ATQUE REIPUBLICÆ BREMENSIS SYNDICO, FAUTORI VALDE SUO.

S. P. D.

JO. FRID. MAYER.

MUltum mihi, VIR SUMME, arrogo, quod in Tuam integrum fuerit venire familiarita-

tem, cui univerſus Literatorum orbis jure meritoque ſubmittit faſces, & quod elegantiores floreant literæ, illi ſe cumprimis debere, ingenue fatetur. Næ ego is non ſum, qui Viro laude mea majori ANTONIO MAGLIABECHIO P. *Finardi* Auguſtiniani Monachi Anagramma abjudicet

ANTONIUS MAGLIABECHIUS

IS UNUS BIBLIOTHECA MAGNA.

aſſentior totus: id tamen abſque omni literarum luſu ex vero affirmo ſuſtineoque, habere Germaniam Italiæ quem opponat, & unum MASTRICHTUM *Germaniæ totius Bibliothecam eſſe maximam*, atque ΠΕΡΙΠΑΤΟΥΝ

ΜΟΥ-

ΜΟΥΣΕΙΟΝ, quod de *Longino* *Eunapius* dixit *Sardianus* in vita Porphyrii p. m. 13. Etenim quicquid vetus ætas tradidit, inclinata peperit aut noſtra ſuppeditavit, id omne tibi notum, perſpectum, ponderatum, id omne divina prorſus circumfers memoria. Ad ſolas provocabo (ut Commentationem *de Suſceptoribus*, *Hiſtoriam Juris Eccleſiaſtici & Pontificii*, *Notas ad Antonium Auguſtinum & Gratianum*, in quibus cum magno *Baluzio* pari gradu incedis jam taceam) edecumatas, quas mihi coram oculis uſurpare licuit in *Baronium* diſſertationes dicam an animadverſiones? quæ & Caſaubonum in ruborem dare

 poſ-

poſſunt, omneſque admirari neceſſe habebunt, niſi quibus non placuiſſe laudi datur.

Meæ credas fidei, quod incredibili harum deſiderio teneantur, ac illud me interprete exponant omnes, quibus de illis aliquid ſcire feliciſſime contigit, quotquot ſolidam Hiſtoriæ notitiam habent in deliciis. Patiar haud invitus meam hancce de Baronio Eclogam, (quæ ubi aliquid eruditionis habet id omne tuis ſymbolis debet) quamprimum Tuæ exſcribentur typis oblivione ſepeliri, nec ſecus ac lucernæ lumen luce ſolis obſcurari. Interim gratulor mihi impenſe, quod Tuum Vir Magne meus qualis-

cun-

cunque labor aſſenſum impetraverit, quod autor eſſe non deſieris, publico illum ut exponerem. Nunquam mihi majorem vigiliarum laborumque fructum propoſui, quam à Tui ſimilibus amorem conſequi, quem in Te mihi perſpexiſſe videor propè ſingularem. Ego viciſſim ſi quid accidet, in quo ubi velis declarari, quanti à me fias; non fallam opinionem Tuam, ſed quæcunque à me expectari poterunt aut præſtari, libenter omnia & cupide Tua Cauſa ſum facturus. Deus *Vir Excellentiſſime* Tui conſervet memoriam. Mihi hoc datum cenſebo negotii, ut tanti

Do-

DEDICATIO.

Doctoris ſalutem divinæ ſemper commendem benevolentiæ. Vale.

Scrib. Hamburgi 5. Maji
Ao. R. 1696.

JO.

JESU FORTUNANTE!

JO. FRIDERICI MAYERI D.
CONSILIARII REGII & PROF. THEOL.
ECLOGA
De
FIDE BARONII
IPSIS PONTIFICIIS AMBIGUA.

CAP. I.

Centuriæ Magdeburgenſes. Inter earum adverſarios præſtantiſſimus & Illuſtriſſimus Cæſar Baronius. Occaſio, quâ ad ſcribendos annales permoveri ſe paſſus fuit. Cauſa quapropter Centuriarum nullam fere faciat mentionem.

POſtquam ſingulari Numinis beneficio fulgidiſſimum Sacri Eloquii ſidus Miniſterio

A Di-

Divi Lutheri è denſiſſima caligine emerſiſſet, radioſque ſuos in Eccleſiæ uſum liberaliſſime diſpenſaret, id ſibi Majores noſtri eſſe datum negotii crediderunt, quo obfuſcata hactenus hiſtoriæ luce, novitates quoque Pontificiorum Eccleſiam Chriſti peſſundantes confunderent, atque propulſarent.

2. Hinc natæ illæ, tantis omnium laudibus celebratæ, tanto deprædicatæ doctiſſimorum hominum applauſu *Centuriæ*, quas ab urbe, in qua ſcribi cœperunt (quinta enim pars & reliquæ ſequentes alibi ſunt elaboratæ. Vide *Caſp. Sagittarii* introductionem in hiſt. Eccl. nuper editam. p. 245.) *MAGDEBURGENSES* appellari uſus obtinuit, quæque res in Eccleſia per tredecim à Chriſto nato ſecula geſtas, ſumma diligentia & fide, autoribus maxime *Matthia Flacio*, *Martino Copo*, *Johanne Wigando*, *Matthæo Judice*, & *Baſilio Fabro*, quibus poſtea *Andreas Corvinus*, & *Tho-*

Thomas Holthüterus acceſſere, XIII. voluminibus perſequuntur, ita quidem, ut unoquoque volumine in XVI. capita diſtributo, *primum* paucis verbis conſpectum totius ſeculi exhibeat, *ſecundum* agat de loco, & propagatione Eccleſiæ, *tertium* de ſtatu, prout vel tranquillus vel perſecutionibus infeſtatus fuit, item de pœnis perſecutorum: *quartum* de doctrina, ejuſque inclinatione: *quintum* de hæreſibus, & erroribus manifeſtis: *ſextum* de Ceremoniis & ritibus Eccleſiæ per varia loca orbis terrarum: *ſeptimum* de Politia Eccleſiaſtica: *octavum* de Schiſmatibus, & ſacris, ut ita dicam, velitationibus: *nonum* de Conciliis, *decimum* de Epiſcopis & Doctoribus: *undecimum* de hæreticis, *duodecimum* de Martyribus, *decimum tertium* de Miraculis & prodigiis, *quartum decimum* de rebus externis, ſeu politicis Judæorum. *Decimum quintum* de Religionibus extra Eccleſiam, ut Judaiſmo, Eth-

nicifmo, Muhamedanifmo &c. *Decimum ſextum* denique de ſtatu & mutationibus politicis Imperiorum. Prima editio hujus immortalis operis prodiit Baſileæ, A. 1559. ſeq. Unde emendandus *Johannes Hornbekius* eſt, in cujus Miſcellaneis p. 16. male numerus 1599. eſt excuſus. In poſtrema autem Ludovici Lucii editione ibidem A. 1624. vulgatâ quis non male ferat omiſſas Epiſtolas dedicatorias, variaque in ipſo opere interpolata & truncata?

3. Non potuerunt ferre hanc lucem noctuarum oculi, neque Pontificii Doctores, qui verba dare humano generi cum ingenti autoritate, fumoſque vendere maximo pretio jam pridem conſueverant, æquo animo tolerare voluerunt, cum viderent, artes ſuas quas in arcanis habuerant hactenus, ita palam omnium oculis exponi, & decreta ſua, quæ Chriſto & Apoſtolis contra antiqua, ſanctiſſimaque eſſe, Jovem lapidem pejerarant,

rant, meras fraudes & impoſturas, recentiaque peſſimorum hominum & in peſtem animarum excogitata eſſe commenta jam non aſſeri duntaxat, ſed argumentis non inficiandis, & hiſtorica fide demonſtrari. Itaque certatim in Centuriatores debacchatum, & variis artibus, convitiis, calumniiſque res acta fuit, ut fides illorum Annalium redderetur ſuſpecta, & opus Papatui tantopere infeſtum hominum manibus excuteretur. At enim parum omnino profeciſſe omnibus iſtis conatibus Pontificios eventus docuit. Nam quam *Conradus Brunus* præfationi Centuriarum oppoſuit invectivam, eam digna reſponſione excepit *Matthias Flacius*, adjecta operi ſuo mantiſſæ loco nova centuria Papiſticorum mendaciorum. Neque *Guilielmi Eiſengrenii* duæ centuriæ, vel *Nicolai Harpsfeldii* ſex dialogi ab *Alano Copo* editi, & Magdeburgenſibus oppoſiti, laudes tanti operis deterere, aut luminibus ejus obſtruere potuerunt,
 non

non magis quam ſufflaminatum eſt invidorum obtrectationibus, quibus mature obviam itum in *narratione de Eccleſiaſtica Hiſtoria quæ Magdeburgi contexitur, contra Menium & Scholaſticorum Witebergenſium Epiſtolas ſcripta à Gubernatoribus & operariis ejus Hiſtoriæ*. Neque ejus autoritati uſuique multum detraxêre, quæ *Franciſcus Turrianus* Jeſuita pro Canonibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis, Epiſtoliſque Pontificum adverſus Centuriatores in lucem emiſit caſtigatus à *Blondello* & *Dallæo*; & quæ *Petrus Caniſius* ex eodem Lojolitico-ordine in ſuis commentariis *de Verbi Dei corruptelis* adverſus novos, ut vocat, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ conſarcinatores, magno impetu & conatu effudit, ut plura ejus generis, & minoris adhuc momenti Scripta Centuriis oppoſita jam ſilentio prætereamus. *Gilbertus* verò *Genebrardus* plane ludibrium dedit Eruditis, cum ipſe frontis penè expers in fronte po-

te poſterioris partis Chronographiæ ſuæ Centuriatorum ſe impietatem, mendacia & imposturas coargiturum eſſe jactavit. Nam ex montibus hiſce tanto conatu parturientibus ridiculum murem prodiiſſe ait *Richardus Montacutius* prolegomenis ad apparatum §. LVI.

4. Scilicet hoc unum ſupereſſe videbatur aſſerendis à ruina Romanæ Curiæ rebus, ut *Cæſar Baronius* tantum in ſe opus ſuſciperet, auſuque incredibili unum ſe obijceret hoſtibus centuriatim dantibus in caſtra Romana impreſſiones. Hic enim ſolus tantam induſtriæ magnitudinem, tantam ingenii vim viſus eſt afferre, quantæ ad ejuſmodi aliquid cum fructu & laude efficiendum deſiderari, & vel à pluribus expectari poterant, ut ſi linguæ Græcæ notitiam forte excipias, neminem habuerit Eccleſia Romana, habeatve, ad tantam rem ſuſcipiendam *uno Baronio* aptiorem. Duodecim quippe vaſtis voluminibus Centu-

non magis quam ſufflaminatum eſt invidorum obtrectationibus, quibus mature obviam itum in *narratione de Eccleſiaſtica Hiſtoria quæ Magdeburgi contexitur, contra Menium & Scholaſticorum Witebergenſium Epiſtolas ſcripta à Gubernatoribus & operariis ejus Hiſtoriæ.* Neque ejus autoritati uſuique multum detraxêre, quæ *Franciſcus Turrianus* Jeſuita pro Canonibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis, Epiſtoliſque Pontificum adverſus Centuriatores in lucem emiſit caſtigatus à *Blondello* & *Dallæo*; & quæ *Petrus Caniſius* ex eodem Lojolitico-ordine in ſuis commentariis *de Verbi Dei corruptelis* adverſus novos, ut vocat, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ conſarcinatores, magno impetu & conatu effudit, ut plura ejus generis, & minoris adhuc momenti Scripta Centuriis oppoſita jam ſilentio prætereamus. *Gilbertus* verò *Genebrardus* plane ludibrium dedit Eruditis, cum ipſe frontis penè expers in fronte po-

te poſterioris partis Chronographiæ ſuæ Centuriatorum ſe impietatem, mendacia & impoſturas coargiturum eſſe jactavit. Nam ex montibus hiſce tanto conatu parturientibus ridiculum murem prodiiſſe ait *Richardus Montacutius* prolegomenis ad apparatum §. LVI.

4. Scilicet hoc unum ſupereſſe videbatur aſſerendis à ruina Romanæ Curiæ rebus, ut *Cæſar Baronius* tantum in ſe opus ſuſciperet, auſuque incredibili unum ſe objiceret hoſtibus centuriatim dantibus in caſtra Romana impreſſiones. Hic enim ſolus tantam induſtriæ magnitudinem, tantam ingenii vim viſus eſt afferre, quantæ ad ejuſmodi aliquid cum fructu & laude efficiendum deſiderari, & vel à pluribus expectari poterant, ut ſi linguæ Græcæ notitiam forte excipias, neminem habuerit Eccleſia Romana, habeatve, ad tantam rem ſuſcipiendam *uno Baronio* aptiorem. Duodecim quippe vaſtis voluminibus Centu-

poſſunt, omneſque admirari neceſſe habebunt, niſi quibus non placuiſſe laudi datur.

Meæ credas fidei, quod incredibili harum deſiderio teneantur, ac illud me interprete exponant omnes, quibus de illis aliquid ſcire feliciſſime contigit, quotquot ſolidam Hiſtoriæ notitiam habent in deliciis. Patiar haud invitus meam hancce de Baronio Eclogam, (quæ ubi aliquid eruditionis habet id omne tuis ſymbolis debet) quamprimum Tuæ exſcribentur typis oblivione ſepeliri, nec ſecus ac lucernæ lumen luce ſolis obſcurari. Interim gratulor mihi impenſe, quod Tuum Vir Magne meus qualiscun-

cunque labor aſſenſum impetraverit, quod autor eſſe non deſieris, publico illum ut exponerem. Nunquam mihi majorem vigiliarum laborumque fructum propoſui, quam à Tui ſimilibus amorem conſequi, quem in Te mihi perſpexiſſe videor propè ſingularem. Ego viciſſim ſi quid accidet, in quo ubi velis declarari, quanti à me fias, non fallam opinionem Tuam, ſed quæcunque à me expectari poterunt aut præſtari, libenter omnia & cupide Tua Cauſa ſum facturus. Deus *Vir Excellentiſſime* Tui conſervet memoriam. Mihi hoc datum cenſebo negotii, ut tanti

Do-

DEDICATIO.

Doctoris ſalutem divinæ ſemper commendem benevolentiæ. Vale.

Scrib. Hamburgi 5. Maji
Ao. R. 1696.

JO.

JESU FORTUNANTE!

JO. FRIDERICI MAYERI D.
CONSILIARII REGII & PROF. THEOL.
ECLOGA
De
FIDE BARONII
IPSIS PONTIFICIIS AMBIGUA.

CAP. I.

Centuriæ Magdeburgenſes. Inter earum adverſarios præſtantiſſimus & Illuſtriſſimus Cæſar Baronius. Occaſio, quâ ad ſcribendos annales permoveri ſe paſſus fuit. Cauſa quapropter Centuriarum nullam fere faciat mentionem.

POſtquam ſingulari Numinis beneficio fulgidiſſimum Sacri Eloquii ſidus Miniſterio

Divi Lutheri è denſiſſima caligine emerſiſſet, radioſque ſuos in Eccleſiæ uſum liberaliſſime diſpenſaret, id ſibi Majores noſtri eſſe datum negotii crediderunt, quo obfuſcata hactenus hiſtoriæ luce, novitates quoque Pontificiorum Eccleſiam Chriſti peſſundantes confunderent, atque propulſarent.

2. Hinc natæ illæ, tantis omnium laudibus celebratæ, tanto deprædicatæ doctiſſimorum hominum applauſu *Centuriæ*, quas ab urbe, in qua ſcribi cœperunt (quinta enim pars & reliquæ ſequentes alibi ſunt elaboratæ. Vide *Caſp. Sagittarii* introductionem in hiſt. Eccl. nuper editam. p. 245.) *MAGDEBURGENSES* appellari uſus obtinuit, quæque res in Eccleſia per tredecim à Chriſto nato ſecula geſtas, ſumma diligentia & fide, autoribus maxime *Matthia Flacio*, *Martino Copo*, *Johanne Wigando*, *Matthæo Judice*, & *Baſilio Fabro*, quibus poſtea *Andreas Corvinus*, & *Tho-*

Thomas Holthuterus acceſſere, XIII. voluminibus perſequuntur, ita quidem, ut unoquoque volumine in XVI. capita diſtributo, *primum* paucis verbis conſpectum totius ſeculi exhibeat, *ſecundum* agat de loco, & propagatione Eccleſiæ, *tertium* de ſtatu, prout vel tranquillus vel perſecutionibus infeſtatus fuit, item de pœnis perſecutorum: *quartum* de doctrina, ejuſque inclinatione: *quintum* de hæreſibus, & erroribus manifeſtis: *ſextum* de Ceremoniis & ritibus Eccleſiæ per varia loca orbis terrarum: *ſeptimum* de Politia Eccleſiaſtica: *octavum* de Schiſmatibus, & ſacris, ut ita dicam, velitationibus: *nonum* de Conciliis, *decimum* de Epiſcopis & Doctoribus: *undecimum* de hæreticis, *duodecimum* de Martyribus, *decimum tertium* de Miraculis & prodigiis, *quartum decimum* de rebus externis, ſeu politicis Judæorum. *Decimum quintum* de Religionibus extra Eccleſiam, ut Judaiſmo, Ethnicismo,

nicifmo, Muhamedaniſmo &c. *Decimum ſextum* denique de ſtatu & mutationibus politicis Imperiorum. Prima editio hujus immortalis operis prodiit Baſileæ, A. 1559. ſeq. Unde emendandus *Johannes Hornbekius* eſt, in cujus Miſcellaneis p. 16. male numerus 1599. eſt excuſus. In poſtrema autem Ludovici Lucii editione ibidem A. 1624. vulgatâ quis non male ferat omiſſas Epiſtolas dedicatorias, variaque in ipſo opere interpolata & truncata?

3. Non potuerunt ferre hanc lucem noctuarum oculi, neque Pontificii Doctores, qui verba dare humano generi cum ingenti autoritate, fumoſque vendere maximo pretio jam pridem conſueverant, æquo animo tolerare voluerunt, cum viderent, artes ſuas quas in arcanis habuerant hactenus, ita palam omnium oculis exponi, & decreta ſua, quæ Chriſto & Apoſtolis contra antiqua, ſanctiſſimaque eſſe, Jovem lapidem pejerarant,

rant, meras fraudes & impoſturas, recentiaque peſſimorum hominum & in peſtem animarum excogitata eſſe commenta jam non afferi duntaxat, ſed argumentis non inficiandis, & hiſtorica fide demonſtrari. Itaque certatim in Centuriatores debacchatum, & variis artibus, convitiis, calumniiſque res acta fuit, ut fides illorum Annalium redderetur ſuſpecta, & opus Papatui tantopere infeſtum hominum manibus excuteretur. At enim parum omnino profeciſſe omnibus iſtis conatibus Pontificios eventus docuit. Nam quam *Conradus Brunus* præfationi Centuriarum oppoſuit invectivam, eam digna reſponſione excepit *Matthias Flacius*, adjecta operi ſuo mantiſſæ loco nova centuria Papiſticorum mendaciorum. Neque *Guilielmi Eiſengrenii* duæ centuriæ, vel *Nicolai Harpsfeldii* ſex dialogi ab *Alano Copo* editi, & Magdeburgenſibus oppoſiti, laudes tanti operis deterere, aut luminibus ejus obſtruere potuerunt,

non magis quam ſufflaminatum eſt invidorum obtrectationibus, quibus mature obviam itum in *narratione de Eccleſiaſtica Hiſtoria quæ Magdeburgi contexitur, contra Menium & Scholaſticorum Witebergenſium Epiſtolas ſcripta à Gubernatoribus & operariis ejus Hiſtoriæ.* Neque ejus autoritati uſuique multum detraxêre, quæ *Franciſcus Turrianus* Jeſuita pro Canonibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis, Epiſtoliſque Pontificum adverſus Centuriatores in lucem emiſit caſtigatus à *Blondello* & *Dallæo*; & quæ *Petrus Caniſius* ex eodem Lojolitico-ordine in ſuis commentariis *de Verbi Dei corruptelis* adverſus novos, ut vocat, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ conſarcinatores, magno impetu & conatu effudit, ut plura ejus generis, & minoris adhuc momenti Scripta Centuriis oppoſita jam ſilentio prætereamus. *Gilbertus* verò *Genebrardus* plane ludibrium dedit Eruditis, cum ipſe frontis penè expers in fronte po-

te poſterioris partis Chronographiæ ſuæ Centuriatorum ſe impietatem, mendacia & impoſturas coargiturum eſſe jactavit. Nam ex montibus hiſce tanto conatu parturientibus ridiculum murem prodiiſſe ait *Richardus Montacutius* prolegomenis ad apparatum §. LVI.

4. Scilicet hoc unum ſupereſſe videbatur aſſerendis à ruina Romanæ Curiæ rebus, ut *Cæſar Baronius* tantum in ſe opus ſuſciperet, auſuque incredibili unum ſe obijceret hoſtibus centuriatim dantibus in caſtra Romana impreſſiones. Hic enim ſolus tantam induſtriæ magnitudinem, tantam ingenii vim viſus eſt afferre, quantæ ad ejuſmodi aliquid cum fructu & laude efficiendum deſiderari, & vel à pluribus expectari poterant, ut ſi linguæ Græcæ notitiam forte excipias, neminem habuerit Eccleſia Romana, habeatve, ad tantam rem ſuſcipiendam *uno Baronio* aptiorem. Duodecim quippe vaſtis voluminibus Centu-

riatorum operi oppoſitis res in Eccleſia per totidem ſecula geſtas ita Annalium more eſt proſecutus, ut infinitis negotiis lumen præclarum affuderit, quamplurima altis pridem ſepulta tenebris in lucem protraxerit, loca autorum illuſtraverit, monumenta inedita vulgaverit, ita denique ſe geſſerit, ut fidem quidem omnes boni & periti, diligentiam vero, ingeniumque, doctrinam & ſtudium pertinax cauſæ ſuæ inſerviendi nemo jure potuerit in illo deſiderare.

5. *Quod autem tanta Eccleſiæ Catholicæ utilitas, rei literariæ decus, orbi Chriſtiano lumen ab Cæſaris Baronii Eccleſiaſtica hiſtoria contigerit, S. Philippo Nerio Congregationis Oratorii fundatori referendum eſt acceptum. Eo enim authore impulſoreque, tanto oneri humerum ſuppoſuit, cujus magnitudini gravitatique cujuſvis ingenii quantumvis validiſſimi vires ſuccubuiſſent*, ut ait de tanto viro Eccleſiæ ſuæ Romanæ gratulans Janus

nus Nicius Erythræus. à Nerio enim iſto, quem nunc Sanctis accenſent, & in Divorum numerum referunt Romani, Congregatio Oratoria inſtituta fuerat circa annum Chriſti MD LXIV. quæ res tum in vitæ ejus Scriptoribus *Antonio Gallonio*, *Gothfrido Santvortio*, *Andrea du Sauſſay*, *Petro Jacobo Baccio*, & cujus liber Actis Sanctorum Maij T. 6. una cum *Papebrochii* commentario prævio eſt inſertus, *Hieronymo Barnabæo:* tum in vita *Joh. Morini à Rich. Simone* elaborata, & paſſim alibi fusè traditur.

6. Inter illius Congregationis leges, & inſtituta hoc quoque autori Nerio ſe probavit, ut ex iis quatuor, quos ſingulis diebus de rebus Divinis verba facere oportet, unus Eccleſiaſticam hiſtoriam exponere, eamque in rem, quidquid eſt Scriptorum huc facientium, accuratè evolvere teneretur, quam provinciam Baronio tradidit Nerius, monito, ut collecta,

perpenſaque ſcripto diligentius conſignaret, cum fructu olim & laude hæreticis, Centuriatoribus præſertim, opponenda.

7. Ferunt, Baronium diu reſtitiſſe Nerii ſollicitationi, neque priùs munus id in ſe devolvi paſſum eſſe, *quam voce per ſomnum audita ad illud ſuſcipiendum monitus fuiſſet*. Quod forte credibilius eſt, quam quod narrat *Erythræus*, eum invitum, & repugnantem poſtea ad Purpuræ culmen attractum fuiſſe *à Clemente VIII.* Pontifice. Hoc porro inſomnium ejus fuiſſe dicitur. *Viſus eſt ſibi nocte quadam Baronius cum Onufrio Panvinio colloqui*, *qui eiſdem temporibus hiſtoriam digerere Eccleſiaſticam moliebatur. Cæſar itaque animo repetens, quid ſibi à Philippo Nerio eſſet muneris impoſitum, Onufrium vehementer rogare, ut ille potius inſtitutum perſequens ſe onere iſto levaret. Onufrius vero ad hæc Baronii verba retrocedere, parumque audientem*

tem ſe illis dictis præbere: Cæſar pluribus ad eum locuturus, & quod dicere cœperat, ei perſuaſurus hanc S. Nerii diſtinctam & conceptam vocem inaudivit. Deſine Baroni, diutius te hoc genus cogitationibus affligere, tibi enim, non Onufrio Annales Eccleſiaſtici pertexendi reſtant. Vel ſi quis vernacula illius velit recognoſcere. *Quieta ti Baronio, è non ti affaticare piu in queſto ragionamento, perche l'iſtoria Eccleſiaſtica l'ha da far tu, e non Onofrio.* Onuphrii tamen Annales Eccleſiaſtici, ut in tranſcurſu hoc lectorem moneamus, ſaltim affecti in Bibliotheca Vaticana Mſti. exſtant, uti ex Mabillonii Muſeo Italico & ex *Schelſtratio* p. 309. *de diſciplina arcani* videre eſt. Quid? tantum ex vero trahere hoc ſomnium autumant nonnulli ut in prioribus duobus tomis plagii accuſent Baronium quod Onuphrii expilaverit ſcrinia.

8. Ne-

8. Neque vero ſtatim ad Annales ſcribendos animum appulit Baronius, ſed diu parturivit, quem ſenex ederet fœtum, & demum cum jam *per annos amplius viginti* curſum Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſæpius in Congregatione Oratoria abſolviſſet, ad edendum opus, inſtigante potiſſimum ad iſtud maturandum *Antonio Caraffa Cardinale*, & *Bibliothecario Vaticano*, ſe denique accinxit. Quam rem colligere licet ex hiſce ipſius Baronii verbis, quæ in gratiarum actione ad *Philippum Nerium* Anno 1595. defunctum Tomo Annalium octavo præfixa leguntur, & hoc loco adſcribenda eſſe exiſtimavi. *Exæſtuans tu quidem Zelo Eccleſiæ laborantis, ubi mente illa tua Divino perfuſa lumine, ac Prophetico (dicere liceat) afflata Spiritu vidiſti è portis inferis in Eccleſiæ detrimentum progreſſas eſſe* Centurias *Satanæ, ex adverſo conſurgens pro domo Iſraël præliaturus prælia Domini, non majori,*

vel

vel pari ſaltem numero militum compenſato certamine decernendum putâſti, ſed probe ſciens, quod quæ infirma mundi ſunt, eligit Deus, ut confundat fortia, puerum tuum, fratrum minimum, & hebetioris ingenii delegiſti, quem unum eundemque inermem tot obijceres armatis hoſtibus. Et aliud agere ſimulans, non latum campum ad prælium, ſed ad experiendas vires anguſtum ornaſti locum palæſtræ, ipſum videlicet Sacrum Oratorium S. Hieronymi, ubi inter quotidianas de rebus Divinis collationes, illud à nobis Symbolum exegiſti, quo res geſtas Eccleſiæ in medium afferremus. Quod tua juſſione ſemel cœptum ad triginta annorum ſpatia eſt feliciter propagatum, ipſa integra rerum geſtarum ſerie dicendo jam ſepties in Oratorio repetita.

9. Cæterum tametſi vel hinc conſtet, Centuriis Magdeburgenſibus potiſſimum oppoſitos fuiſſe Baronii Anna-

Annales, obſervatum tamen eſt, earum raro admodum eum mentionem facere: cujus rei cauſam inquirentibus nobis occurrerunt, qui id horribile ſecretum proderent *Ephemeridum Gallicarum Autores* Anni MDCLXVI. Ephemeride XII. Nam ibi laudant hoc *Baronii* conſilium eumque prudentius, quam *Pallavicinum* egiſſe ſentiunt, qui *Sarpii* errores caſtigaturus, eum frequenter nominatim compellat, cum è contrario *Baronius* paucis admodum in locis nominet Centurias, eiſque raro palam contradicat, & ſe opponat, verum hiſtoriæ ſuæ telam ita ſimpliciter pertexuerit, ut generali fere hæreticorum, Novatorumque nomine duntaxat fuerit contentus. *Sapienter enim Baronium credidiſſe, quo parciorem Centuriarum mentionem faceret, eò melius ſibi ſe, Eccleſiæque ſuæ conſulere, veritum ſcilicet, ne crebra illarum compellatione curioſitatem lectorum excitaret, ad inquirendos, evolvendoſque*

que libros, quorum lectione nihil cogitari poſſe exitioſius arbitrabatur.

CAPUT II.

Elogia, Editiones, Verſiones, Epitomæ, Continuatores Annalium Baronii. Caſpar Scioppius illorum lectione ad Romanam Eccleſiam converſus. Ejus Epiſtola ἐυχαριστικὴ ad Baronium.

1. SImul ac vero in lucem prodiere illi Baronii Annales, dici non poteſt, quantam famam extemplo de ſe ſparſerint & quantum laudis ac gloriæ conciliaverint autori ſuo, ut is non tantum Bibliothecarii Vaticani munere ſed eminentiſſima Cardinalium dignitate dignus haberetur, & pæne ad ſummum Pontificatus Maximi faſtigium ſublatus fuiſſet. Vide quæ ſcripſimus in commentario de *Electione Rom. Pontificis* Cap. V. §. 4. p. 121.

Nam

Nam in illo opere non modo literis magnum lumen, decuſque illatum, ſed quod caput eſt, ingens Eccleſiæ Romanæ præſidium, cum certiſſima adverſariorum clade, & ignominia, in Annalibus illis poſitum eſſe plerique omnes exiſtimabant. Ac Baronius ipſe veluti præſagiens vana hac ſpe animum ſuum lactavit, eſſe futurum, ut *quemadmodum virga Magorum olim ab uno Moſis baculo omnes abſumptæ ſunt, ita ſui unius Annales univerſas hoſtium centurias ſimiliter abſorberent*. Quamquam autem in hac perſuaſione mirifice ſe fefellit, negari tamen non poteſt, innumera eum non a ſuis duntaxat, ſed etiam ab adverſariis tuliſſe elogia, quæ ſi quis omnia falſa eſſe, atque præter meritum Baronio contigiſſe contenderet, næ hunc nimis palam eſſet, plus partium ſtudio, quam veritati tribuere.

2. Atque ut ab ejus Eccleſiæ ſociis initium ducamus, primùm non pauci fue-

fuere, viri nec indocti illi, nec ingenio deſtituti, qui ut tanti operis autorem vitæ illius deſcriptione celebrarent, non mediocri id ſibi laudi atque gloriæ fore exiſtimaverunt. Ex quibus principe loco juvat nominare *Hieronymum Barnabæum*, eundem, à quo *Philippi Nerii* vitam deſcriptam jam ſuperiore capite meminimus. Cujus liber de *vita Baronii* Romæ editus eſt forma quarta Anno M DC LI. Idem breviter quidem, ſed non minus eleganter executi ſunt cùm in prima Pinacotheca *Janus Nicius Erythræus*, ſcriptor, ut norunt omnes, elegantiſſimus, tùm *Johannes Imperialis* in Muſeo hiſtorico, inque Theatro virorum doctorum *Hieronymus Ghilinus*, & *Alphonſus Ciacconius* in vaſto curioſo narrationumque alibi non obviarum pleniſſimo opere, quod de vitis Pontificum & Cardinalium inſcripſit, qui hæc denique de Baronio ſubjicit: *Magnus Henricus Chriſtianiſſimus rex tanti*

 viri

viri obitu cognito exequias regia magnificentia Pariſiis celebrari juſſit. Romæ à Michaële Angelo Buccio, & Neapoli ab Hieronymo Binago funebribus laudationibus vir animo, doctrina, & pietate magnus celebratus fuit. Societas Jeſu in Romano Collegio eundem funebri laudatione & carminibus cohoneſtavit. Ejus vitam Henricus Spondanus edidit. Scripſit uberius, non tamen typis vulgavit Angelus Buccius. Demum illam in lucem emiſit latino ſermone Hieronymus Peruſinus, ejuſdem Congregationis presbyter. Elogia ſcripſere Petramellarius, Julius Cæſar Capaccius, Antonius Sanderus, Filiuccius: Laudatus eſt etiam à Nic. Orlandino, Jac. Gretſero, Jacobo Gaulterio, Joh. Baptiſta Villalpando, Famiano Strada, Paulo Benio, Auberto Miræo, Arcudio, Baccio, & aliis. Quibus adde *Andream du Sauſſay* in continuatione Bellarmini de S. E. & *Johannem Ciampinum* in Catalogo

Bi-

Bibliothecariorum Eccleſiæ Romanæ, *Henricum Albium* in hiſt. Cardinalium. &c. Præter hos *Carolum* quoque *Lombardum* vitam Baronii ſingulari ſcriptione & libro complexum teſtatur *Antonius Teiſſerius*, ſed cujus forte labor necdum in lucem editus eſt, certe in manus noſtras minime incidit. Non omittenda vero vita Baronii narrata & tradita ab *Henrico Spondano*, & *Abrahamo Bzovio*, epitomisque annalium ab autoribus ſuis præfixa: neque quæ à *Juſto Calvino*, qui Apoſtata factus, Baronii poſtea cognomentum illo Calvini permutavit, & à *Michaële Angelo Buccio* in laudes manium Baronianorum conſcripta & in poſterioribus annalium editionibus primo Tomo in limine totius operis collocata leguntur. Hi enim omnes atque ſinguli uno ore calamoque id præcipue agendum ſibi eſſe putaverunt, ut Annales Baronianos in cœlum laudibus eveherent, & quantum

in ipſis fuit, eorum pretium ſingulare, & mirificam utilitatem omnibus notam facerent.

3. Neque obſcurum de illius operis exiſtimatione teſtimonium perhibere poſſunt tot, tamque frequenter repetitæ editiones, quibus inſuper habita ejus mole, intra minus quam ſeculi ſpatium in Italia, Germania, Belgio ſæpius typis exſcriptum prodiit. Nam cum ab anno M D LXXXVIII. Romæ primum edi cœpiſſet ſumtibus auſpiciiſque Pontificis: mox Venetiis, & Coloniæ recuſum eſt, ut quarta jam fuerit editio Antwerpienſis anni M D XCVII. Cui non pauca ab autore acceſſere, quæ in ſingulorum Tomorum limine indicantur. Quinta vero Moguntinenſis anni M DC I. *Ultima & optima earum, quas autor ipſe recognovit, quamque futurarum omnium exemplar eſſe juſſit; Antwerpiæ* imprimis & Coloniæ aliquoties recuſa hoc ſeculo eſt, verſaturque in mani-

nibus editio *Antwerpienſis* ex Plantiniana officina Anni M DC LXXV. qua neſcio an recentior in lucem publicam emiſſa fuerit. Habent porro hoc poſteriores editiones, ut tametſi à prima Romana typorum, & chartæ elegantia ſuperentur, eam tamen viciſſim antecellant in eo, quod addenda, & emendanda in calcem Tomi X. edit. Romanæ rejecta ſuis quæque inſerta locis, annosque in ſectiones diviſos exhibeant. Qui porro in Antwerpienſibus editionibus ob proſcriptionem Regis Hiſpaniæ omiſſus eſt, Tomo XI. de *Monarchia Siciliæ* tractatus, ſeorſim editus extat, addito Cardinalis Columnæ judicio, Pariſiis Anno M DC IX. forma quæ octava vulgo dicitur.

4. Nondum omnes Tomi prelum evaſerant, cùm jam à viris ſummis de opere Baronii in varias linguas transferendo cogitatum fuit. Itaque Anno M D XCII. *Stanislaus Carncovius* Regni Poloniæ Metropolitanus,

BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE VITTORIO EMANUELE

& Gneſnenſis Archiepiſcopus plenas amoris & obſervantiæ literas ad Baronium ſcripſit, in quibus poſtquam Annales illius mirificis laudibus extuliſſet, denique addidit, ſe curaturum, ut in Collegio Patrum Societatis Jeſu à ſe fundato & inſtituto in *Polonicam linguam* transferrentur. Ac tribus ante annis *Marcus Fuggerus* Baro in Kirchberg, & Weiſſenhorn Imperatoris Rudolphi à conſiliis, eoſdem Annales, uti ex Baronii Fuggerique mutuis epiſtolis, operi Baroniano præfixis, videre eſt, in *Germanicum idioma* transfundere cœperat: cujus tranſlationis Tomus primus prodiit Ingolſtadii Anno 1594. fol. & Anno 1595. 4°. *Valentinus* quoque *Leuchtius* Canonicus in Baronii opere Germanice transferendo operam poſuit. Ex qua verſione partes tres priores Moguntiæ typis Nicolai Steinii ab Anno 1599. ad 1602. impreſſæ, in Draudii Bibliotheca Germanica memorantur.
Et-

Etiam *Arabice* prima & ſecunda pars Annalium prodiit Romæ typis Congregationis de propaganda fide Anno 1653. forma quarta, interprete *Fr. Brietio* Rhedonenſe Capuccino. Præter hoſce *Franciſcus Panicarola* Epiſcopus Aſtenſis & Comes, Baronio adhuc ſuperſtite primum Tomum *Italica* veſte induit, reliqua volumina univerſa ſimiliter Hetruſco redditurus ſermone, niſi alia negotia & munera ſummi Pontificis juſſu ab eo ſuſcepta, Panicarolam ab hoc labore avocaſſent. Qui feliciter poſtea noſtris temporibus exantlatus eſt à *Franciſco Nerlio* Cardinali, quem Annales Baronii *Italice* tranſtuliſſe, autor eſt *Johannes Ciampinus* in libro *de abbreviatoribus Romanæ ſedis*, quos de Pareo Majori appellant. Ac quamvis neque Nerlii neque Panicarolæ verſio, neque Polonica illa edita eſt hactenus, quod ſciam, abunde tamen, ni fallor ex hiſce, quæ dicta ſunt, apparet, quanto in pre-

tio apud viros maximos illud Baronii opus fuerit, in quo transferendo tot homines in ſummis honoribus & maxima autoritate conſtituti non dubitaverunt elaborare. Quibus addendus etiam *Franciſcus Maria Tauruſius* eſt, patria Politianus ex Congregatione Oratoria presbyter Cardinalis, à quo ſimiliter prima Baronii volumina Italice jam verſa eſſe accepimus. *Vide Auguſtinum Oldoinum de vitis Pontificum, & Cardinalium.* T. IV. p. 290.

5. Quemadmodum vero ab interpretibus hiſce opera data fuit, ne latine neſcientibus ignorantia ſua fraudi eſſet, ita quoque non defuere alii, qui multorum egeſtati, tempori, tædio, atque ignaviæ confectis voluminoſorum Annalium Epitomis ſuccurrere conati ſunt. Ex quibus neſcio, an non primo loco memorare debeam *Ludovicum Aurelium Peruſinum*, quia ejus opuſculum in XII. libros pro numero tomorum Baronii diviſum quanto ſuccinctius eſt, tanto

to magis Epitomes nomen meretur, & concinni indicis vicem in ingentia illa Cardinalis volumina præſtare poteſt, prodiitque exiguus iſte in Octava forma libellus non ſemel hoc ſeculo tum in Italia, tum apud noſtrates Germanos. At enim temporis ratione primas ſibi merito vindicat *Cornelius* (non *Conradus*, ut legitur apud *Sagittarium* p. 309. introduct.) *Schultingius Steimwichius* Belga, qui *Theſaurum Antiquitatum Eccleſiaſticarum* ex VII. prioribus Tomis Baronii ordine Alphabetico collectum, & digeſtum cum ſcholiis adverſus Centuriatores Magdeburgenſes, & Calviniſtas edidit, Colon. 1601. formâ octavâ. Epitome octavi Tomi eadem methodo concinnata ibidem, & eadem forma lucem adſpexit. Anno 1603. Profeſſorem hunc, & Canonicum Colonienſem excepit Jeſuita *Joh. Gabriel Biſciola* Mutinenſis, cujus Epitome decem voluminum priorum Baronianorum magnis elogiis

mactata à *Ribadeneirâ*, Lugduni, Venetiis, & Coloniæ Anno 1602. in forma quarta duobus edita eſt tomis, quorum prior in Anno 536. deſinit. Hanc decem annis interjectis inſecutus eſt *Henricus Spondanus* (in Hornbeckii Miſcellaneis p. 23. perperam editum eſt *Joh. Spondanus*) Mauleoſolenſis ex Reformato Pontificius & Apameenſis Epiſcopus, cujus annales ex XII. Baronii tomis in Epitomen redacti, & ab ipſo approbati Cardinale, ſæpenumero, & variis in locis impreſſi ſunt in fol. uti Moguntiæ 1618. Pariſ. 1639. Colon. 1640. Lugd. 1660. &c. (*Hic*, ut in ejus vita non ab re ſcripſit Petrus Frizonius Theologus Pariſienſis, *palmam omnibus præripuit, qui in eo ſcribendi genere vacarunt & in compendia Baronianam hiſtoriam redegerunt*, *ut inter Italos* Joh. Gabriel Biſciola *Mutinenſi urbe oriundus*, *qui una cum fratre Lælio in ſocietatem Jeſu eſt admiſſus à S. Ignatio, anno obitum præceden-*

te

te, *etiam* Ludovicus Aurelius *Jureconſultus civitatis Peruſinæ*, *ut inter natione Sarmatas* Petrus Scarga, *Sigiſmundi III. Polonorum Monarchæ egregius divini verbi præco*, *ut inter Germanos* Cornelius Schultingius *Coloniæ ad S. Andreæ Canonicus*, *ut inter ortu Gallos*, Claudius Durandus *Theologus Pariſienſis*, *Eccleſiæ Maclovienſis pœnitentiarius*, Joh. Planchæus *in principe Senatu Galliæ Patronus*, *quorum in ea ſcriptione collega* Artus Thomas *Embrii Dynaſta*. *Horum nullus*, *licet cuique laudis ſuæ præconium dandum*, *rem acu tetigit*, *ſoli* Spondano *omnium ſententiâ res feliciter ſucceſſit. Quamobrem cecinit quidam vere*,

Eſt liber hic idem qui Cæſaris ante, ſed idem
Mole minor, rerum pondere major erit.)

Anno 1617. Coloniæ fol. duobus voluminibus (quorum prius clauditur in anno octingenteſimo) in lucem exiit Epitome Baroniani operis ab impudentiſſimo mendaciſſimoque Romani Pon-

Pontificis aſſentatore confecta *Abrahamo Bzovio* Polono, Ordinis Dominicani, etſi is non Baronium duntaxat, ſed & alios ſcriptores ſequi ſe affirmet, quod etiam præ ſe fert *Johannes Horatius Scoglius*, cujus hiſtoria Eccleſiaſtica ex *Baronio* potiſſimum contracta Romæ primum anno 1622. & deinde 1642. prodiit. Neque latina tantum, ſed & aliis linguis extare videas Epitomas Baronianorum Annalium. Nam *Arabice* autore eodem, cujus jam meminimus, *Brietio* excuſa eſt Romæ typis Congregationis de propaganda fide, Anno 1655. ac *Germanico* idiomate Compendium Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Cæſaris Baronii, neſcio quo autore Coloniæ impreſſum eſt apud *Johannem Gymnicum* & *Antonium Hierat* Anno 1600. ut omittam compendium, quod ex eorundem Annalium primis 10. Tomis Polonica lingua conſcripſit, & Cracoviæ A. 1602. edidit *Petrus Scarga*, teſte *Simone Starovol-*

volſcio in elogiis centum Poloniæ ſcriptorum, & *Ant. Poſſevino* in Apparatu. Hiſce Baronii Epitomatoribus addas, licet, Synthema Vetuſtatis ſive flores Hiſtoriarum è Card. Baronii, Saliani, Petavii & aliorum celebrium ſcriptorum monumentis autore *Nicolao Angelo Caferrio* Romæ 1667. fol. & *Matthiæ Cheſneux* Auguſtiniani Eremitæ tomum ſecundum Speculi Eccleſiæ Catholicæ Chronographici. Leodii. 1666. fol. Noviſſime etiam Romæ 1694. 4o. in lucem prodiit *Index Alphabeticus* Rerum & Locorum omnium memorabilium ad Annales Baronii opus poſthumum *Cardinalis de Laurea*, curantibus D. Joh. de Lima, & Mello Luſitano. S. R. J. Marchione de Samandra.

6. Cum porro in Anno MCXCVIII. deſierit Baronius, quamvis enim tredecim Magdeburgenſibus Centuriis totidem tomos, ſive tot ſeculorum Hiſtoriam oppoſuiſſe Cardinalem,

no-

notarit *Andreas du Sauſſay* in continuatione Bellarmini de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, lucem tamen non viderunt plures quàm XII. qui in illo quem dixi anno deſinunt. Nec tredecim tantum ſed quindecim Annalium Tomos à Baronio ſcriptos eſſe poſſum oſtendere, ſed quorum tres poſtremi hactenus à Patribus Congregationis Oratorii de induſtria ſupprimuntur. Ecce tibi verba *Hieronymi Vecchietti*, Florentini, qui ſe ob trinas in Ægyptum ſuſceptas legationes *ab Ægypto* vocavit & in vaſto opere de ratione ſacrorum temporum lib. VI. cap. 8. ita ſcribit: *Baronius homo veritatis fuit & amicus noſter, & ſi ad hunc uſque diem vitalis ei ſpiritus ſuperfuiſſet, harum rerum (reſtitutionis temporum nempe) certior factus ingentem valde lætitiam percepiſſet. Dilexit nos & in annalibus ſuis ordinariæ adhuc conditionis nos honoravit, in appendice ad ſextum tum galero inſignitus. In decimo quinto omnes*

cir-

circumſtantias rerum Ægypti ultimæ noſtræ legationis longa oratione deſcripſit. Et vehementer miramur Congregationis Oratorii Patres quaſi deſides tria Volumina ab ipſo jam abſoluta in publicum foras non emittere, ſuſtinentes ex alienis unum tametſi & religione & vita conſpicuum nova ad impreſſos Tomos addere ſupplementa, & in jacturam univerſalis Eccleſiæ theſaurum tam grandem in terram abſcondere. Fruitur nunc ipſe coram Deo meritis ſuorum laborum; ita per gratiam nobis contingat ut & noſtrorum poſtea fruituri ſimus. Quem locum grata mente in acceptis referimus viro ſummo Gerhardo van Maſtricht qui ex Vecchietti opere Auguſtæ Vindel. 1621, folio majore excuſo, & combuſtis per infortunium pleriſque exemplis rariſſimo excerptum ad nos pro ſua inſigni humanitate & amore tranſmiſit. Baronii itaque editi in lucem tomi cum in A. M C XCVIII. deſinant, reperti ſunt itidem viri eximii

mii, qui magnum crederent operæ pretium facere, ſi telam à tanto artifice cœptam ulterius pertexerent, & Annales illos ſcriptis publicis ad noſtra uſque tempora continuarent. Hinc nono jam anno poſt Baronii obitum *Abrahamus Bzovius*, cujus modo inter Epitomarum autores mentio facta eſt, & de quo *Erythræi* in prima Pinacotheca, & *Starovolſcii* in libro jam memorato extremo elogium legi poteſt, priorum tomorum continuationis ſuæ Coloniæ Anno 1616. excuſum in lucem proferre cœpit, quem alii tomi 7. ſunt inſecuti, quorum ultimus octavus deſinit in anno Chriſti 1564. Diu poſt mortem Bzovii (obiit enim Anno 1637.) Romæ Anno 1672. etiam Nonus tomus vulgatus eſt, res Pio Quinto Pontifice geſtas complexus, & forte alii tres adhuc latent alicubi, nam præter Epitomen Annalium Baronii XII. tomos continuationis Bzovium edidiſſe (ſive ſcripſiſſe) atque ita Baronium to-

tomorum numero æquaſſe autor eſt *Starovolſcius* in narratione de Bzovio, ejuſque ſcriptis, quæ octavo volumini continuationis præfixa legitur. Cæterum Bzovius iſte Montacutii judicio οὔτε τρίτος οὔτε τέταρτος οὔτε δυωδέκατος, οὐδ' ἐν λόγῳ, οὐδ' ἐν ἀριθμῷ, ſi cum Baronio conferatur, & ut vere ait *Hoornbeckius*, in ſola turpi & nefanda Papæ, ac Romanæ ſedis adulatione Baronium ſuperavit, neque ingenio illi par, neque facundia, neque eruditione, ſed in reliquis omnibus eo longe inferior. Quibus adde *Joh. Georgium Herwartum ab Hohenburg* qui libro pro Ludovico Bavaro Mantiſſam de *Bzovii erroribus* adjecit, ejuſque inſolentiam fuſe caſtigavit. Monachii 1618. Poſt Bzovium, & de quo mox dicturi ſumus *Henricum Spondanum* continuandos Baronii Annales in ſe ſuſcepit *Odoricus Raynaldus* Tarviſinus, Oratoriæ Congregationis presbyter, cujus communione id hæreditario quaſi jure ſibi

vindicavit; & dum vixit, continuationis ſuæ octo tomos vulgavit, Baronianoque operi addidit; quorum primus Romæ Anno 1646.& ultimus, qui in Anno 1534. clauditur, Anno 1663. eſt excuſus, edità etiam Anno 1667. ab eodem autore ſynopſi illorum octo voluminum. Sed, & idem *Raynaldus* vita excedens nonum tomum bipartitum, & res ab Anno 1535 ad Annum 1565. perſequentem ad prelum paratum reliquit, quem Anno 1676. & 1677. quidem Romæ impreſſum, ſed anno demum 1689. in publicam lucem emiſſum fuiſſe conſtat, quod in illo forte minus probanda quædam & immutanda eſſe Romanis Cenſoribus viderentur. Cæterum tomus iſte ipſis editoribus non diffitentibus eſt *innumeris pæne errorum fœditatibus ſcatens*, ut de mala Raynaldi fide, calumniis, conviciisque, & apertis mendaciis in eos, quos ille hæreticos vocat, aliisque communibus ipſi cum Bzovio vitiis, quæ tum

tum in hoc, tum in aliis etiam continuationis illius voluminibus videre eſt, jam dicere omittam. Ut nullam injuriam ei fecerit celeberrimus nuper Carentonenſium Eccleſiaſtes Joh. Claudius, cum in præfatione reſponſionis ad librum Arnoldi qui inſcribitur *la perpetuité de la foy de l'Egliſe Catholique touchant l'Euchariſtie defendue* p. 28. Raynaldum deſcripſit his verbis: *Ils ſe ſont ſervi d'ordinaire d'un nouveau Continuateur de Baronius nommé Odoricus Raynaldus Preſtre de l'Oratoire de Rome, mais ſi on veut ſçavoir de quel poids eſt cet auteur, on en peut être éclaircy par cette deſcription: c'eſt un homme qui a peu d'eſprit, qui n'a nul jugement, nulle ſincerité, nulle bonne foy, qui debite avec une audace inſupportable & comme ſi c'eſtoient des articles de foy les plus inſoutenables pretenſions de la Cour de Rome, qui allegue les auteurs les plus partiaux & les plus emportez, comme Poggius, Blondus, Turrecremata*

& autres ſemblables, comme des temoins irreprochables, & aprés lequels on ſoit obligé de condamner les plus gens de bien & ceux mêmes dont Dieu a fait connoitre la ſainteté par des miracles: qui faute des preuves ſe repand en injures & en declamations outrageuſes & indignes d'un Hiſtorien, qui ne doit jamais temoigner de paſſion. Et enfin un homme tel qu'il n'y eut jamais de perſonne moins propre pour un ſi important ouvrage qu'eſt l'Hiſtoire Eccleſiaſtique. Voilà le caractére de cet auteur. Qui s'imagineroit que des gens qui en croiroient ce que je viens de dire & qui voudroient bien que tout le monde en fit le meſme jugement, vouluſſent l'employer dans une diſpute auſſi importante que celle-cy, & en tirer la pluſpart de leurs Hiſtoires. Et neantmoins ce ſont ces Meſſieurs qui nous l'alleguent aujourdhuy avec tant de confiance, qui l'ont eux mêmes depeint de la maniere que je viens de repreſenter. C'eſt Mr. Arnaud ou ſes mais

qui

qui ſous le nom de quelques Theologiens ont pris la peine de faire ſçavoir au public par des remarques imprimées, qu'aprés avoir lu cette hiſtoire avec application, ils en faiſoient ce jugement. Hæc de Raynaldo Joh. Claudius. *Daniel* vero *Papebrochius* in Commentario prævio ad vitam Philippi Nerii T. vi. Act. Sanctorum Maji. p. 462. autor eſt è Sociis Congregationis Oratoriæ poſt Raynaldum communi ſociorum ſuffragio Annalibus Baronii continuandis admotum eſſe *Leandrum de Coloredo*, qui Purpuratis interjecto tempore accenſitus fuit, neque hactenus quicquam, quod norim, ad ulterius pertexendum Baronii opus faciens edidit. Inprimis vero cum ingenti laude & gloria in continuandis Annalibus Baronianis verſatus eſt idem, qui Epitomen quoque eorundem laudatiſſimam, &, quod ab *Auguſtino* quoque *Torniello*, & *Jacobo Saliano* factum, Veteris Teſtamenti Annales condidit *Henri-*

cus Spondanus Gallus ab anno 1198. in quo deficit Baronius, ad annum 1640. hiſtoriam Eccleſiæ perſecutus, qui etſi Bzovio & Raynaldo mole cedit, fide tamen, diligentia, atque judicio accuratiori utrumque longe ſuperat, ut ait *Guilelmus Caveus* prolegomenis ad Hiſtoriam literariam ſcriptorum Eccleſiaſticorum, Sect. VI. ita tamen, ut mendacem Hiſtoricum appellare non dubitaverit *Rivetus* T. 3. operum Theol. p. 531. ubi Apoſtaſiam quoque illi exprobravit, de qua narratio Gallicè edita extat Biturici Anno 1595. In Angelici Aproſii Albintemelienſis larva detracta p. 64. memorantur *obſervationes Anonymi de Arminis ad Annales Eccleſiaſticos Henr. Spondani Apamiarum in Gallia Epiſcopi, quibus expenduntur nonnulla ejusdem Spondani de aliquibus principibus, nationibusque elogia.* Docet vero Aproſius, autorem illarum fuiſſe *Hieronymum de Marinis*, Nobilem Genuenſem. Denique *Cæſarem* quo-

quoque *Becillum* Baronii Annales continuaturum fuiſſe narrat *Leo Allatius in apibus urbanis.* pag. 65. ſeq.

7. Ex his ſatis jam perſpicuum eſſe arbitror, quanta ſit Baronii in Eccleſia Romana auctoritas, & quantum ejus operi communi omnium ſuffragio à Pontificiis fuerit tributum: quibus ſi elogia & laudes ab infinitis ſcriptoribus ejuſdem Eccleſiæ, Cardinali ejuſque Hiſtoriæ adſcriptas addere vellem, citius me tempus deficeret, quam ego vel nomina eorum enumerare valerem, qui in Baronii Annalibus celebrandis omnes ingenii & eloquentiæ nervos intenderunt. Ex quibus ſelecta quædam elogia videre eſt apud Clar. virum *Caſp. Sagittarium* p. 295. ſeq. introductionis in hiſtoriam Eccleſiaſticam.

8. Illud vero omittendum minime eſt, quod exiſtimationem Baroniani operis inprimis augere, & de ejus utilitate atque præſtantia opinionem in Pontificiorum animis mirifice ex-

citare & confirmare poteſt, quod aliqui *illius lectione profeſſi ſunt, ſe fuiſſe permotos, ut ad Romanæ Eccleſiæ ſocietatem*, à qua antea alieniſſimi erant, adduci ſe paterentur. Hoc enim ſibi accidiſſe teſtatus eſt præter *Juſtum Calvinum*, & alios, *Gaſpar Scioppius* Germanus, nomen inter literatos minime ignotum, in epiſtola ad Baronem quendam Germanum (quæ Romæ anno 1599. octava forma typis Aloyſii Zannetti edita eſt) non procul ab initio his verbis. *Scripſerat Wackerius Commentariolum quendam Philologicum de cruce, & furca veterum, in quo pleraque omnia novo modo contra Juſti Lipſii ejuſdem argumenti librum diſputantur, quem tamen quin vulgo ederet, multigeneribus iiſque graviſſimis negotiis publicis impeditus fuit. Cum ergo mihi ejus editionem cum formis & iconiſmis æneis exornandam concredidiſſet, egoque jam cum typographo Norico omnino transegiſſem, cœpit*

prius

prius ex Bibliothecâ ſua libros quoſdam notæ reconditioris ſeligere, mihique loca, quæ ad crucis materiam pertinere viderentur enotanda & examinanda proponere. Ex illo librorum genere fuerunt Auſonius Joſephi Scaligeri, Covarruviæ Reſolutiones, Petri Fabri Semeſtria, Lipſii Militia, Choulii de religione & antiquorum ſacris liber Italicus. Cæſaris denique Baronii Annales Eccleſiaſtici. Quem ego librum poſtremum quotieſcunque nomino, quod ego quidem facio ſæpiſſime, lætitia non exigua cor mihi perfundi ac ſubſilire ſentio. In illo enim dum crucem quæro, ſalutem invenio. Lecturus enim ſi quæ de crucium formis & generibus ex Martyrum hiſtoria afferret, longe aliud agens (Divino ita dirigente Numine) hiſtoriam totam Eccleſiæ primitivæ à Chriſti ſalvatoris natali per ipſum ſeculum deſcriptæ avidè percurro, omniaque ibi Catholicæ doctrinæ capita ex ipſiſſima Apoſtolorum beatiſſimorum pro-

ſluxiſſe, rebus neceſſariis evictum comperio. Tum denique tetigit me, corque meum ſacer ille ſpiritus (qui Lydiæ in Actis cor aperuiſſe dicitur) ut quæ jam olim in Patribus antiquis lecta tantum non contemſeram, & neglexeram, denuo mihi in mentem venirent, meque adeo apud me ipſum falſæ fidei profeſſionis arguerent, & convincerent. Neque tamen defuerunt quæ me à Judicii in cauſa tam gravi tamque periculoſa præcipitantia ſubinde dehortarentur, ſæpe ætatem noſtram juvenilem in materia tam ardua Satanæ artibus & technis circumveniri dictitantes, quod nimirum, ad quæ confutanda nos minus idoneos vel prorſus impares eſſe ſentiamus, ea quoque ſummis (ut ajebant) Evangelicæ veritatis Theologis ad diluendum nimis difficilia, atque adeo ἀδύνατα *exiſtimemus. Veruntamen cum & ego in Theologia Calviniana & Lutherana non neglegenter aut volgari more educatus & inſtitutus omnia ipſorum argumen-*

ta

ta (maxime quibus illi ex Apocalypſi S. Johannis in Pontificem maximum perperam & ineptè detortis utuntur) nullius plane rei & efficaciæ eſſe, mihi quam perſuaſiſſimum haberem, iſti quoque amici mei, qui me derepente ſola Annalium Baronianorum lectione in conſpectu ſuo immutari dolebant, argumentis meis nihil niſi Mornæi de Eccleſia, ſummæ (ut ipſis videbatur) veritatis, artis, & doctrinæ librum opponerent, eoque ego lecto nihil niſi tritas illas nænias deprehendiſſem: inſtigante me conſcientia mea, cum integrum menſem plusquam dimidiam noctium partem inſomnem habuiſſem, diutius me continere nequivi, ſed cum illuſtri Dn. Wackerio de animi mei ſenſu communicavi: adeoque in hunc uſque diem Catholicam Romanam fidem ardenter amplexus ſum, & probavi, & conſtanter cum Deo volente, dum ſpiritus hos reget artus, vel cum ſummo vitæ, fortunarumque mearum periculo propugnare volo.

Hæc

Hæc tametſi pluſcula hic adſcribere non dubitavimus, quia liber *Scioppii* rarior eſt, quam ut eo lector remitti poſſit, quæ eadem cauſa etiam perſuaſit nobis, ut ejuſdem *Scioppii Epiſtolam* ad *Baronium*, qua illi de converſione ſua ad Eccleſiam Romanam gratias agit, integram hoc loco ſubjecerimus.

Illuſtriſſ. & Reverendiſſ. Dno. Patrono ſuo meritiſſimo

CÆSARI BARONIO S. R. E. CARDINALI.

GASPER SCHOPPIUS FRANCUS.

MAgnum nobis, Cardinalis Illuſtriſſime, quotquot & amœnioribus illis literis ducimur, & ſacræ ſapientiæ ſtudia noſtra deſtinamus, magnum inquam reliquorum tuorum an-

annalium deſiderium inceſſit, adeo ut haud ſciam, majorne voluptate lectio editorum jam tomorum nos perfuderit, quam expectatione poſteriorum, guſtus, quem dediſti, torqueat. Quod itaque cum deprecatione audaciæ meæ liceat, magnopere Illuſtriſſimæ Celſitudini tuæ rogans inſto, ut quandoquidem de ſe conjecturâ factâ, quam difficilis ſit mora ſi differatur, quod placet, quamque moleſta rerum pulcherrimarum diuturnior expectatio, facile intelligit, non gravate hoc nobis largiatur, ut cui antè multis pulcherrimis nominibus devincti fuimus, nunc etiam plurimum debeamus. Verè enim hoc dicam tibi, cui quod aſſentatorie quicquam afferre velim, nihil eſt, ſi facias, quod futurum brevi ex Illuſtriſſima Celſ. tua nuper intelligere mihi viſus ſum, ut nimirum poſt octavi Tomi editionem quam prelis Romanis propemodum abſolutam videbimus, cæteri conſequentes quam primum edantur: fore, uti non homines ſolum pul-

pulchrarum rerum, & ſacrarum Antiquitatum ſtudioſi, libris illis tuis eruditiores facti, æternas tibi gratias agere & habere velint; ſed multi inſuper alii, qui pro communi Patriæ ſuæ calamitate hæreſibus occœcati captique ſunt, inque magno illo & infeſto ſectariarum opinionum ſalo navigant, ad veram Eccleſiam Catholicam, luminis hujusce, quod ipſis præluces, intuitu, curſum ſuum convertant. Id quod ego, & nonnullorum aliorum, & meo ipſius exemplo, certo augurari & confirmare poſſum. Nam de me, ut hic dicam, qui paullo fidentius quam illi, quod Verum *eſſe didici, publice profiteri ſoleo, illud à te beneficium occaſione Annalium tuorum accepi, quo nullum dari, accipique ab homine majus poteſt: præ cujus adeo magnitudine cetera benefacta in me tua (cujuſmodi eſt, quod ea diligentia me Sanctiſſ.* D. N. Clementi VIII. *commendaris*, (vereor, ne hoc argumentum fuerit omnium

nium prægnantiſſimum.) *ut auctum honoribus & dignitatibus me, liberaliſſimis inſuper ſumtibus in urbe prolixe detinere, & ſuſtentare voluerit, quodque in omnibus te mihi non Patroni, ſed* Patris *loco eſſe, & fore evidenter oſtenderis) etſi illa ingentia ſupra votum & meritum mihi obtigerint, minime pluribus commemorare auſim. Illud enim hic ſolum dici meretur, illa gratia æternum me tibi debere agnoſco, quod veram fidem, veram Dei cognitionem & cultum legitimum, ac proinde æternam corporis ac animæ ſalutem, poſt Deum nemini niſi tibi acceptum ferre poſſum. Cum enim pro triſtiſſima Patriæ noſtræ infelicitate, & genio averſo in hæreticorum ſcholis altus & eductus ab Sanctiſſimæ Eccleſiæ Catholicæ communione alienus eſſem, multique magni & præclari viri de converſione mea, in qua procuranda ipſi multum ſtudii, & operæ poſuerant, prorſus deſperaſſent: tuorum annalium aureo-*

rum

rum lectio, quam ſuggerente Illuſtriſſ. Viro Joh. Matthæo Wackerio ſuſceperam, in viam me reduxit, & diſcuſſa nube, in lucem veritatis intueri fecit. Quo quidem nomine quantæ tibi & per te Deo gratiæ à me debeantur, & intelligunt omnes, & à me verbis exprimi nequit. Quamvis enim hæc hominis converſi laus ab Annalibus tuis partim abjudicari poſſe videatur, (cum requiratur & lectio aſſidua, & judicium non vulgare ad æſtimandam ſcriptorum fidem & veritatem) illud tamen totum tui fuit ingenii, judicii & eruditionis, ut ea, quibus Annalium Sacrorum lectio dulceſceret, ſeque etiam profanarum ſtudioſis literarum commendaret pervideres, aliudque pæne agendo, ac velut per cuniculos veritatem animis inſtillares, & opiniones ſchismaticas, ac hæreticas ſubrueres. Nam ſi verum dicendum eſt, ſola dulcedine, & melle illo antiquorum morum & rituum, quod tu ex ſcriptoribus variis qua ſacris qua profa-

ſanis, Græcis & Latinis ad inſtar apis Hybleæ confeciſti, illectus primum fui, ut annales tuos continua lectione abſolverem. Quod idem ſi faciant alii (ut facturos veriſimile eſt) næ illi juſtas inde cauſas mihi conſtitiſſe, cur ad Catholicam Eccleſiam me referrem, exemplo ſuo confirmabunt. Vere igitur & illud dico, te unum perpetuæ ſalutis meæ autorem extitiſſe, te ſolum viam ad Eccleſiam Catholicam & Chriſtianam muniviſſe, te mihi in tenebricoſa nocte naviganti, & fluctuanti, ut Catullus ait

- - - Velut minuta magno
Deprenſa navis in mari veſaniente
vento.

tanquam propitium ſidus, puta Caſtorem & Pollucem adfulſiſſe. Pro quibus tamen omnibus, quod reponam tibi non invenio, niſi quod Priſci donariis Deorum ſuorum inſcribere ſolebant: ALIUD QUIDEM NON HABEO, *vel certè quod naufragio facto præter ſuam ipſorum ſpem liberati in*

rum lectio, quam ſuggerente Illuſtriſſ. Viro Joh. Matthæo Wackerio ſuſceperam, in viam me reduxit, & diſcuſſa nube, in lucem veritatis intueri fecit. Quo quidem nomine quantæ tibi & per te Deo gratiæ à me debeantur, & intelligunt omnes, & à me verbis exprimi nequit. Quamvis enim hæc hominis converſi laus ab Annalibus tuis partim abjudicari poſſe videatur, (cum requiratur & lectio aſſidua, & judicium non vulgare ad æſtimandam ſcriptorum fidem & veritatem) illud tamen totum tui fuit ingenii, judicii & eruditionis, ut ea, quibus Annalium Sacrorum lectio dulceſceret, ſeque etiam profanarum ſtudioſis literarum commendaret pervideres, aliudque pæne agendo, ac velut per cuniculos veritatem animis inſtillares, & opiniones ſchismaticas, ac hæreticas ſubrueres. Nam ſi verum dicendum eſt, ſola dulcedine, & melle illo antiquorum morum & rituum, quod tu ex ſcriptoribus variis qua ſacris qua pro-

fa-

ſanis, Græcis & Latinis ad inſtar apis Hyblea confeciſti, illectus primum ſui, ut annales tuos continua lectione abſolverem. Quod idem ſi faciant alii (ut facturos veriſimile eſt) næ illi juſtas inde cauſas mihi conſtitiſſe, cur ad Catholicam Eccleſiam me referrem, exemplo ſuo confirmabunt. Vere igitur & illud dico, te unum perpetuæ ſalutis meæ autorem extitiſſe, te ſolum viam ad Eccleſiam Catholicam & Chriſtianam muniviſſe, te mihi in tenebricoſa nocte naviganti, & fluctuanti, ut Catullus ait

- - - Velut minuta magno
Deprenſa navis in mari veſaniente
vento.

tanquam propitium ſidus, puta Caſtorem & Pollucem adfulſiſſe. Pro quibus tamen omnibus, quod reponam tibi non invenio, niſi quod Priſci donariis Deorum ſuorum inſcribere ſolebant: Aliud quidem non habeo, *vel certe quod naufragio facto præter ſuam ipſorum ſpem liberati in*

æde ſacra Neptuni factitabant, HANC CARDINALI BARONIO OB DEVITATUM ÆTERNUM ANIMÆ NAUFRAGIUM VELUT VOTIVAM IN ÆDE MEMORIÆ ET ÆTERNITATIS TABELLAM SUSPENSAM DEDICATAMQUE VOLO. *Romæ Menſe Januario Anno* cIↄ Iↄ Ic.

Ita aſſentatoriè ſatis ad Baronium Caſpar ille Scioppius Eccleſiæ Romanæ Neophytus. Utrum vero gratulari ſibi de hoc alumno, an potius *cavere hunc canem* debuerit Cardinalis, ex alia Ejuſdem Schoppii Epiſtola, quam infra capite ſeptimo producemus, lectori conſtabit.

CAPUT III.

Elogia ab adverſariis Baronio tributa, qui tamen univerſi fidem, ſæpe etiam doctrinam in illo requirunt. Hiſtoria librorum à Proteſtantibus adverſus Baronii Annales editorum, indicatis ſubinde etiam iis, qui ex ſociis Romanæ Eccleſiæ, Baronium contra illos adverſarios utcunque defenderunt.

1. QUod ſuperiore capite diximus, Baronium non tantum à ſuis, ſed & ab adverſariis, & viris ab Eccleſiæ Romanæ communione alieniſſimis vehementer laudatum, ejuſque labores in Annalibus condendis poſitos non mediocriter etiam Proteſtantium ſcriptis celebratos fuiſſe; id reliquum eſt, ut jam teſtibus quibusdam, ac rebus ipſis in medium prolatis confirmatum demus. Inque illis

familiam ducat merito ſuo vir ſummus *Iſaacus Caſaubonus*, qui in dedicatione ſuarum exercitationum directa ad Jacobum primum Magnæ Britanniæ Regem palam profitetur, Baronium, *cum multorum ex illis partibus hominum induſtria in digerenda Hiſtoria Eccleſiæ deſudaverit, unum tamen magnis ſuis laboribus facile obſtruxiſſe luminibus omnium priorum: Virum ejus eruditionis, tantæ diligentiæ, itaque neceſſariis pleriſque præſidiis, ad opus, quod parabat, inſtructum, ut mirum videri non debeat, tantam ipſi ſuas in eo genere lucubrationes, apud omnes nationes nominis celebritatem peperiſſe. Ea enim novô induſtriæ exemplô perfecta fuiſſe a viro illo, ſui ſeculi facile primario, de quibus ante ipſum perpauci cogitaverint, nemo facile quid unquam ediderit.* Idem in prolegomenis ad eaſdem exercitationes. *Quis neſcit*, inquit, *Cardinalem Baronium operam in eo genere literarum adeo*

adeo inſignem poſuiſſe, ut omnibus ſua diligentia palmam præripuerit. Hic enim eſt, qui primus omnium totius Orbis Chriſtiani res geſtas, præſertim autem quæ ad Eccleſiam pertinebant, in continuam ſeriem annorum ſic digeſſit, ut ſi unius urbis faſtos concinnaret, qui neſcio unde ex abdito tam multa plane prius incognita primus promſit in lucem, qui antiquorum Epiſcoporum in magnis urbibus ſucceſſiones, veterum hæreſeon originem, progreſſum, & finem, tempora Eccleſiæ ſive tranquilla ſive turbulenta tam accurata diligentia explicuit, qui denique merita ſua in Eccleſiam, ſi immoderato partium ſtudio non corrupiſſet, dignus erat ſine controverſia, cui omnes & veteres, & recentiores, qui illam eruditionis partem unquam attigerunt, aſſurgerent, & faſces ſubmitterent. Gemina fere de Baronio non uno in loco ſcripſit *Richardus Montacutius*, præſertim in prolegomenis Apparatui

tui ad Origines Eccleſiaſticas præmiſſis. §. lviii. ſeqq. ubi Hiſtoriam Eccleſiaſticam eum quanta potuit maxima diligentia excoluiſſe affirmat, & pæne prodigioſa ſedulitate, plane novo, & inaudito exemplo ab omni retro antiquitate, heroico conatu, & prædicando in Annalibus Eccleſiæ deſcribendis verſatum eſſe ait. Ac nuper admodum *Guilielmus Caveus* cenſuit, Baronium præclare de antiquitate Eccleſiaſtica meruiſſe, & ſe ex eo plurimum profeciſſe haud invitus agnovit. Neque *Samuel Baſnagius* Vir Clariſſimus dubitavit Baronii Annales vaſtum doctrinæ oceanum appellare. Et prope infinita ſunt, quæ in eandem ſententiam tum ex noſtrorum, tum ex aliorum proteſtantium ſcriptis colligi poſſunt, atque huc coacervare omnia, non tantum lectoris patientia abuti, ſed etiam ſuo male uti otio eſſet. Itaque ex hiſce unum adhuc audire ſuffecerit, *Alexandrum Morum* in Baronii

lau-

laudes ita præfantem ad Chronicon Euſebianum Scaligeri. *Neque tamen ſic immenſi laboris Annalium pretium elevamus, ut non quantum ejus arti Roma debet, ac ingenio, tantum diligentiæ debere univerſum orbem Chriſtianum agnoſcamus, ob illa tot ab eo eruta monumenta (licet in eorum cenſu non pauca ſubleſtæ nimis fidei relata ſunt) quæ ſine illo fuiſſet æternis fere damnata tenebris latuiſſent.* Ex noſtris vero agmen Encomiaſtarum Baronii claudat *Conradus Hornejus*, qui in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ compendio dicit, dubium eſſe, majoremne diligentiam & eruditionem, an partium ſtudium ad tam vaſtum opus condendum attulerit.

2. Non Hornejum autem duntaxat ſed ex univerſis iſtis laudatoribus ne unum quidem reperire eſt, qui Illuſtriſſimi Annalium conditoris eruditionem, ingenium, & induſtriam celebrando non fidem in eo deſideraverit, & qui de ejus nimio partium ſtu-

dio non graviter fuerit conqueſtus. Atque ut *Caſauboni* iterum principe loco mentionem faciam, is non modo in locis ſupradictis, & per integrum Exercitationum opus paſſim malam fidem Baronii perſtrinxit; ſed & in luculenta illa ad Frontonem Ducæum Epiſtola ſcribit, Baronium *id unum emunctæ naris hominibus videri negotii ſibi dari credidiſſe, ut mirificam de infinita ſummi Pontificis potentia doctrinam per totam ſeriem temporum* εὐκαίρως, ἀκαίρως, *confirmaret.* Quam in ſententiam pluribus diſſerit *Georgius Calixtus* in Apparatu Theologiæ p. 187. ſeq. Et *Hugonis Grotii* judicio, in Elegia Exercitationibus Caſauboni præfixa; ſed poſtea inter poëmata Grotii certo conſilio omiſſa, illud Baronii opus

- - - *multo vigilata labore*
Pagina, ſed nutu ſub dominantis erat.
Autoramentum non eſt leve Purpura, pridem
Pontifices verum non didicere pati.

Ab *Hermanno* porro *Conringio* in Hexaſticho quodam Baronius ita de ſe ipſo loquens inducitur, ut præcipuæ Hiſtorici virtuti ſæpe parum ſe litaſſe fateatur. Verſus autem hi ſunt.

Ipſam Pontifici ſacram ſervire coëgi
Hiſtoriam, verò multa querente licet;
Purpurea merito victor hinc veſte triumpho,
Ipſa etiam triplex prompta corona fuit.
Vana hæc: certa tamen mihi gloria parta labore,
Annaleſque niſi ſole cadente cadent.

Ita horum doctiſſimorum hominum aliorumque innumerorum ſententia eſt, *Baronium partium ſtudio immenſo labori ſuo multum detraxiſſe*, ut loquitur *Hottingerus* p. 413. Bibliothecarii quadripartiti. ſive ut in prolegom. ad partem 2. ſeculi xvi. Hiſt. Eccleſ. idem Vir Doctiſſimus ait, *nævum immoderati partium ſtudii voluminoſum Baronii opus multorum manibus excuſſiſſe*. Inprimis vero Gibeoniti-

cam fraudem in eodem plures notarunt, & reprehenderunt, quod uti Gibeonitæ olim quò Joſuæ & Iſraëlitis perſuaderent, ſe gentem multum diſſitam, & valde longum iter emenſos eſſe, illis panes ſuos mucidos, utres confractos,& vinum vappaſcens monſtraverunt, ita Baronius quoque quibus dogmata ſua & decreta nuper excogitata confirmare poſſit, paſſim provocet ad commentitia, & recens affiſta antiquiſſimis autoribus nullius plane fidei monumenta. Cui generi fraudis *Johannes Pearſonius* lectione tertia in Acta Apoſtolorum addit aliud non minus improbandum, *quod novitia dogmata, quæ ne impoſtoribus quidem illis, & ſuppoſititiorum ſcriptorum autoribus cognita fuerint, ex detortis ſacrarum literarum verbis conatus eſt eruere Baronius.* Richardus vero *Montacutius*, cujus jam aliquoties fecimus mentionem, p. 156. Apparatus aliud ejus ſtratagema perſtringit his verbis. *Uſitata eſt Baronio*

Car-

Cardinali demonſtratio, ita plerumque novas & inauditas nec probabiles ſententias ſuas ſolet perſuadere; fateri opus eſt, certum eſt, nulli dubium eſt, nulla debet eſſe dubitatio.

3. Neque fides modo, ſed & ſæpe major rerum peritia diligentiorque conſideratio, accuratior notitia linguarum, græcæ præſertim, & denique caſtigatior ſcientia temporum in Annalium Autore deſiderata fuit à ſcriptoribus Proteſtantibus. In libro per *Joh. Vaſſanum* quondam collecto, & ex Bibliotheca Iſ. Voſſii poſtea vulgato, quem editores *ſecunda Scaligerana* inſcripſere, Baronium argui videas infinitorum mendaciorum errorumque & neglectæ temporum rationis, & quod multis ſuppoſititiis uſus, nullo judicio Hiſtoriam compoſuerit. Etiam Græcarum literarum ignorationem ei objiciunt hæc verba: *Baronius eſt Bibliothecaire, & n'entend rien en Grec.* Quæ vero ibidem proxime præcedunt, manifeſto

eum

eum accuſant malitioſi plagii commiſſi in Centurias Magdeburgicas: *Nihil habet, quam quod Centuriatores fecerunt, & illos perpetuo reprehendit, putat ita tegere ſua furta.* Quo referendum eſt, quod ait Adamus Tribechovius, *Baronium id unicè ſemper egiſſe, ut quæ à Magdeburgicis acceperat, ſi cum decretis aulæ Pontificiæ minus pugnarent, interpolata Patrum ſententiis vindicaret ſibi, ſi diſſentirent, tegeret, corrumperet, confoderet, illos imitatus, qui præeuntium veſtigia converrunt, ne ſecuti videantur.* In iisdem Scaligeranis additur, Baronium *parcius mentitum in ſeculis ſequioribus, in primis autem quam frequentiſſime.* Græcorum vero ſcriptorum interpretibus Latinis ex Græcæ linguæ inopia fidere coactum paſſim hallucinatum fuiſſe præter *Scaligerum* aliosque obſervant *Iſ. Caſaubonus* in Exercitationibus, & *Montacutius* in Apparatu. p. 189. 317. & aliis in locis. *Jacobus*

Ca-

Capellus in præfatione Vindiciarum Caſauboni *Baronio defuiſſe* affirmat *linguarum Orientalium cognitionem, Græca vix primoribus labris delibaſſe, à diſciplinis Mathematicis fuiſſe imparatum, ſed defuiſſe inprimis purioris Theologiæ cognitionem. Atque ita factum eſſe, ut ſuam illam immenſam ſane librorum latinorum lectionem totam pravæ, qua fuerat imbutus doctrinæ confirmationi conſecraret.* Idem *Caſaubonus* alibi Baronium ſcriptorem parum accuratum, & rerum veteris populi Judaici non admodum intelligentem vocat, eumque non tantum creberrime in veritatem, Hiſtoriæ veram vitam craſſè peccare, ſed etiam pæne ſemper in Chronologicis errare pueriliter, ſcripſit *Robertus Baillius* in in loco quem exhibet una cum aliis quibusdam de Baronio judiciis in cenſura celebrium autorum Baronettus Anglus *Thomas Pope Blount.*

4. Hæc porro aliaque in Annalibus

bus Cardinalis deſiderata & improbata longe luculentius intelligi, & fuſè expoſita videri queunt in non paucis *libris*, qui à Reformatis potiſſimum, tum à noſtris quoque *adverſus Baronium editi eique oppoſiti ſunt,* niſi quod Chronologiam quidem illi raro parceque attigerunt, qua in parte quam parum Baronio tribuendum ſit ex *Johannis Pearſonii* Epiſcopi Ceſtrienſis Annalibus Cyprianicis, & poſthumis operibus conſtare poteſt. Ac *Iſaaci* quidem *Caſauboni* Exercitationes nobis jam aliquoties memoratæ nemini ignotæ eſſe poſſunt, quas ut in vita ſua p. 59. teſtatur *Abrahamus Scultetus*, ſuaſu virorum doctiſſimorum *Jacobi Auguſti Thuani*, *Petri* & *Franciſci Pithœorum*, & *Nicolai Fabri* aggreſſus, juſſu dein & auſpiciis Regis Magnæ Britanniæ *Jacobi* elaboravit, & edidit. In animo autem illi erat, reliquos quidem tomos ſtrictim percurrere, primùm vero, ut in quo legiti-

timæ victoriæ certa ſpes eſſet poſita, quantum poſſet maximâ diligentiâ examinare, ut ipſe autor eſt in dedicatione ad Regem. Tantum dolendum eſt, eum Anno 1614. è vita ereptum non ulterius, quam ad numerum 232. anni trigeſimi quarti à nato Chriſto progredi, atque ita longe maximam Annalium partem ne attingere quidem potuiſſe. Illæ vero Exercitationes Londini primum eodem Anno 1614. fol. tum variis in locis, Francofurti præſertim & Genevæ forma quarta impreſſæ ſudes fuere in oculis Pontificiorum, qui in *Polybio* Caſaubonum vires ſuas, quam in Baronio expertum eſſe maluiſſent. Hinc mille ab illis tum in Regem Jacobum, tum in virum illum doctiſſimum jacta plauſtra conviciorum. Sit exempli loco carmen illud quod Jeſuita *Maximil. Sandæus* in Grammatico profano p. 181. cœnotaphii atque Elogii Caſauboniani loco habet & refert:

Cum

Cum grandinante calculo ſuos vidit
Renes pereſos, marcidamque veſicam,
Senſitque coſtas in metalla converti,
Et clauſa prorſus eſſe vaſa mejendi:
Excogitavit tum Caſaubonus miram
Artem excreandi: nam per ora ructavit
Quicquid veneni corde deliteſcebat.
Fœdoque vomitu nauſeantis impulſus
Baronianos ſtercoravit Annales,
Totamque pene concacavit Europam.
Quis fiſtulantem jam negare Bonaſum,
Et Plinianas fluctuare præſumat
Narrationes, cum Britannicus lurco
Romam ſceleſtus, purpuramque papalem
Ex Anglicanis inquinaverit terris?

Illo ipſo editionis Anno Antwerpiæ ab *Heriberto Rosweido* Jeſuita edita, *lex talionis* XII. *tabularum*, *Cardinali Baronio ab Iſaaco Caſaubono dicta*, *retaliatione retorta.* Cui quidem ſcripto, ut mox dicemus, reſponſum eſt à *Jacobo Capello*, interjecto

jecto autem triennio *Andreas Eudemon-Johannes* Cretenſis, qui tamen Cydonium ſe dici maluit, non quod Cydonii non ſint Cretenſes, ſed ne Cretenſis cognomento is, qui erat mendax ſtatim primo conſpectu omnibus videretur, Lojolita itidem maledicentiſſimus, cum jam Anno 1615. reſponſionem ad caput quartum primæ exercitationis (in quo de diabolicis ejus mendaciis Caſaubonus conqueſtus fuerat, eaque refellerat) ediſſet, alium librum Exercitationibus ejuſdem oppoſuit, Coloniæ typis exſcriptum, & tum à *Johanne Prideaux*, in Vindiciis Oxonii A. 1624. editis, tum itidem à *Jacobo Cappello* confutatum. Eodem Anno 1617. *Julius Cæſar Bulengerus*, quo & ipſe non magis ſophiſticis argumentis quam calumniis & convitiis Romanos deſtitui oſtenderet, diatribas ſuas bipertitas Lugduni editas Caſaubonianis Exercitationibus objectavit. Non magis vero huic quam cæteris

 mi-

impune abiit, ſummi viri manibus inſultaviſſe, ſed is à *Richardo Montacutio*, (quem Robertum perperam vocat *Antonius Pagi* in præfat. Criticæ Annalium Baronii) cujuſque antidiatribæ Anno 1625. vulgatæ ſunt, dignis fuit modis viciſſim exceptus. Etiam tribus hiſce Jeſuitis *Roſweydo*, *Eudæmon-Johanni*, *&* *Bulengero* totidem vindiciarum libros oppoſuit *Jacobus Cappellus*, quæ Sedani primum A. 1618. 4°. tum proximo anno Francofurti prodiere: ex illis autem ſolus, quod ſciam, Cappello reſpondit *Roſweydus in Anti-Cappello*, ſive *exploſione næniarum Jacobi Cappelli*, *quas funeri Caſauboni cecinit*, *Antwerpiæ* 1619. cui libello cum Cappellus Sedani eodem anno repoſuiſſet, *aſſertionem bonæ fidei adverſus Strophas Rosweidi. Vindicias pro Caſaubono aſſertas & recognitas*, *Rosweydus* viciſſim Antwerpiæ anno proximo 1620. *Syllabum* edidit *malæ fidei Cappellianæ*, *excerptam ex*

Jac.

Jac. Cappelli mendaci aſſertione bonæ fidei. Rosweydum & Bulengerum paſſim quoque perſtringit *Montacutius* in Analectis Eccleſiaſticarum Exercitationum Londini anno 1622.fol. quæ caſtigatiora & accuratius digeſta Oxonii Anno 1653. fol. ſub titulo *Apparatus Eccleſiaſtici* recuſa ſunt, & in quibus frequenter quoque caſtigatur ipſe Caſaubonus & Magdeburgicæ Centuriæ. In *Bulengerum*, quem magnum ubique nugatorem & plagiarium *Montacutius* appellat, graviter etiam invehitur *Mericus Caſaubonus* in pietate adverſus paterni nominis hoſtes & calumniatores. p. 25. ſeqq. quo in libro in Rosweydum quoque & Eudæmon-Johannem invectivæ leguntur. Cæterum tribus Jeſuitis Iſ. Caſauboni adverſariis addendus inſuper quartus, *Petrus Lanſſelius* eſt, in putida illa *diſpunctione locorum Juſtini Martyris, à Caſaubono in Exercitationibus adductorum*, quæ Pariſienſi Juſtini editioni Anni

 1636.

1636. & quæ hanc expreſſit Witebergenſi Anno 1686. eſt ſubjecta. *Dionyſium* enim *Petavium* in animadverſionibus ad Epiphanii hæreſes aliosque, qui obiter Caſaubonum lacerantes adverſus ejus Exercitationes Baronium vel excuſant, vel tuentur, prudentes prætermittimus. Non omittendus vero *Johannes Dartis* in Pariſienſi Senatu Advocatus, cujus animadverſiones in Annales Eccleſiaſticos Cæſaris Baronii, & Iſ. Caſauboni Exercitationes editæ ſunt circa annum 1617. de quibus ita ſcribit Antonius Pagi in Critica Baroniana. *Notæ in eo opuſculo contentæ adeo numero exiguæ ut ad duos vel tres annos Annalium plures ſæpe requirantur, præterquam quod circa difficultates parvi momenti fere omnes verſantur, præcipuasque Spondanus in ſuam Epitomen inſeruit.* Obiter vero notandus Clar. Sagittarius, qui p. 315. Introductionis, tanquam duo diverſa ſcripta memorat Johannis Dartis opuſculum

lum poſtea in tertia parte operum ejus Canonicorum A. 1656. recuſum, & *animadverſiones in Annales Eccleſiaſticos Cæſaris Baronii, & Iſ. Caſauboni Exercitationes, in quibus Baronius quidem tanquam ab Ariſtarcho arguitur, ſed à Caſauboni tanquam Phalaridis ſagittis liberatur, autore J. A. C. in Senatu Franciæ Advocato.* Diſſertatio *Pauli Benii Eugubini* de Annalibus Baronii quam memorat *Jac. Philippus* Thomaſinus p. 354. Elog. & Hyperaſpiſtis Cardinalis annumerat Gisb. Voëtius in Bibl. Studioſi Theologiæ, non magis ad manus noſtras pervenit quam *Bedethi* liber qui inter Gallos ejusdem Baronii impugnatores ab eo numeratur. Et illuſtris Gerh. Maſtrichius nos monuit, Genevæ A. 1613. 8°. editum ſcriptum hoc titulo : *Les droits de l'Egliſe Catholique par Jean Bedé*, quod forte hoc ipſum eſt quod Voetius innuebat. *Richardus* quoque *Montacutius* præter libros, quorum

jam meminimus, Origines Eccleſiaſticas duobus tomis Londini 1636. & 1640. fol. impreſſas luci publicæ expoſuit, in quibus Hiſtoriam Chriſti in Euangeliſtis deſcriptam fusè ac doctè perſequens frequentius quidem Annalium conditorem, at quandoque etiam Caſaubonum notavit, & ab eo diſſentire ſe eſt profeſſus. Denique *Epitomen Exercitationum Caſauboni* confecit, ediditque *Andreas Magen-El* ſive *Magendeus*, Eccleſiaſtes Benearnenſis Lugd.Bat. 1679.fol.

5. Antequam à Caſaubono ad alios Baronii adverſarios devenimus, merito deteſtamur ſacrum horribile ac famoſum ſcriptum quo ſceleſtiſſimus quidam inauditæque tenebrio malitiæ (Caſp. Scioppium eſſe ajunt) viri maximi nomen ac per ejus latus Regem ipſum nomen venerabilis omnibus doctis memoriæ Jacobum modo nequiſſimo minimeque humano laceravit. Inſcriptio libelli A. 1615. 12°. (Antwerpiæ fortaſſis) in lucem editi & non

ita

ita pridem Halis Saxonum recuſi hæc eſt *Iſ. Caſauboni Corona Regia i. e. panegyrici cujusdam vere aurei quem Jacobo I. delinearat fragmenta.* In quibus hoc quoque nomine inter alia Caſaubonus ab impuro cane perſtringitur quod à literis humanioribus ad Theologiam ſubito tranſiliens & ex Grammatico factus Theologus ad confutandos Croni ſenis annales imparatus, & Regi tantum cui aduletur, obſecuturus advolaſſet. Cujus generis duo inſuper commenta explodenda ſunt, quibus famam viri maximi non mediocriter etiam ab aliis violari deprehendimus. Nam in Epiſtola *Petri Molinæi* ad *Jacobum Montacutium*, quam *Paulus Colomeſius* inter Epiſtolas Clementi Romano ſubjectas vulgavit p. 281. dicitur Caſaubonus à Perronio perſuaſus cœpiſſe de Religione malè ſentire, & ad Papiſmum inclinaſſe, quod crimen etiam ejus manibus intentat *Jurius* in libro, qui inſcribitur *l'Eſprit de Mr.*

Arnaud. p. 2. pag. 306. Quibus jam illud *Caſauboni* in Epiſt. ad Joh. Caſelium p. 515. edit. Cl. Grævii opponimus: *Si Thraſo eſſem, aliter mea ſcripta loquerentur: ſi Atheus, plane Romæ eſſem, quo non ſemel invitatum me fuiſſe amici norunt, & habeo teſtes Baronii epiſtolas.* In *Roberti* vero *Scheidleri* Epiſtola ad Tegnagelium, quam *Petrus Lambecius* tomo primo Commentariorum de Bibl. Vindobonenſi p. 153. inſeruit, *Idem Caſaubonus animi ægritudine mortem ſibi acceleraſſe fertur, quod editas ſuas Exercitationes publice probari non intellexiſſet*, pluribus poſtea dolentibus, ereptam ſibi eſſe ejus morte triumphi materiam, qui jam calamum adverſus eum ſtrinxerant. Sed ut poſterius figmentum ſua abſurditate facile evaniturum mittamus, prius illud pluribus verbis impugnat, ac revincit filius Caſauboni Mericus in libro jam laudato, uti ſimilem de ſe ſparſum rumorem diluit Iſaacus ipſe

pa-

pater, Epiſtolâ inſcripta Patribus congregatis Gergaviæ ad Synodum, quæ eſt in editione Epiſtolarum Caſauboni Grævianâ, Epiſtola ducenteſima viceſima. Plura in Apologiæ uſum dabit Clariſſimus *Almeloveenius* in Hiſtoria Caſaubonorum quam publicis deſtinavit uſibus, cujus editionem ceu privatim olim ab Amiciſſimo Viro nunc publice rogamus.

6. Septem annis prius, quam Caſauboni exercitationes in lucem exirent, Baronium impugnaverat *Abrahamus Scultetus* Theologus Heidelbergenſis edita *confutatione prolixæ diſputationis Cæſaris Baronii Sorani, de Baptiſmo Conſtantini Romano, quam tertio Annalium Eccleſiaſticorum tomo inſeruit.* Neoſtadii 1607. 4°. In cujus præfatione Iſ. Caſaubono inſcriptâ hanc diſſertationem ſuarum ſpecimen, & ἀποσπασμάτιον ſuarum adverſus Baronii Annales diſputationum vocat. Eandem poſtea Scultetus in parte tertia *Medullæ Patrum* in

Syntheſi Theologiæ Euſebii Cæſareenſis capitis ſexti loco collocavit: adverſus Baronium autem nihil amplius, quod norim, edidit, etſi morte præventus demum Anno Chriſti 1624. Cæterum de eodem Conſtantini M. Baptiſmo donatione & legatione ad Concilium Nicænum adverſus Baronium diatribam Jenæ A. 1676. edidit *Balthaſar Gualtherius*, cumque ab eo tempore *Emanuel à Schelſtrate* Bibliothecæ Vaticanæ præfectus fictum Imperatoris baptiſmum novis argumentis ſuffulcire conatus eſſet, hujus quoque commenta & præjudicia veritatis ſubruit *Wilhelmus Erneſtus Tenzelius* in diſſertatione edita Witebergæ A. 1683. ac nuper inſerta Exercitationibus ejus ſelectis. *Rudolphus* quoque *Hoſpinianus* non tantum ob aſſertam de Conſtantini baptiſmo fabulam Baronium impudentiæ arguit lib. 2. de Origine templorum p. 242. ſed & alibi in eo opere aliisque ſuis ſcriptis paſſim eum ut patrem errorum, ſo-

ſophiſmatum & mendaciorum exagitat. Cæterum Caſaubono prior Baronium aggreſſus eſt etiam *Melchior Goldaſtus*, Romani Imperatoris, Ordinumque Imperii autoritatem ab arrogata Pontificum autoritate aſſerens in Rationali politico, edito una cum tertio tomo Conſtitutionum Imperialium. Quo de opere ita ad Goldaſtum Epiſtola 218. ſcripſit *Franciſcus Grillimannus*, homo Pontificius. *Conſtitutiones avide percurri, uti & notas tuas. Atque utinam conſilii tui ab initio particeps fuiſſem, multa alia Imperatorum reſcripta & decreta ſuppeditare potuiſſem augendo volumini & firmando. In notis fatear neceſſe eſt, paulo tu in Baronium viſus es acerbior. Non quod in ejus Annalibus multa non ſint, quæ improbem, alia, quæ etiam falſa ſciam, ſed poterat aliquid ejus dignitati & canitiei, addo & eruditioni, quæ tamen haud quaquam tanta eſt, quanta habetur vulgo, concedi, atque condonari. Poſtremo*

mo illum veluti inſultandi modum moremque inter doctos, & literarum humanarum conſuetudine emollitos probare nunquam potui. Illi tractatui, cum *Jacobus Gretſerus* Jeſuita Ingolſtadii Anno 1611. objeciſſet *Rectitudinem inſipientiæ, & falſimoniæ Goldaſtinæ*, Goldaſtus eodem anno reſpondit in *Replicatione pro Cæſarea & Regia Majeſtate, & Ordinibus Imperii contra Gretſerum*, qui viciſſim Goldaſto in *gemina ſua defenſione* Anno 1612. edita inſultavit.

7. Diu verò poſt Caſaubonum ejuſque hyperaſpiſtas novus Baronio adverſarius ex Helvetiis exortus eſt non uſquequaque ſpernendus, etſi Caſaubono multum inferior, & controverſias potius, quam vel hiſtoriam, vel Chronologiam perſecutus *Joh. Henricus Ottius*, qui examen perpetuum Annalium Baronii, in quo univerſa XII. Annalium volumina caſtigaret, paſſimque refelleret, concinnavit. Ac quantumvis illius examinis prio-

priores Centuriæ tantum editæ ſunt Tiguri A. 1676. forma quarta, contra quarum primam *Auguſtinus Rhedingius* juſto volumine in fol. A. 1680. typis Monaſterii Einſiedelenſis edito tueri Baronium & defendere eſt conatus: pridem tamen ſpes facta ab heredibus eſt, integrum opus ad prelum ab autore paratum relictum, & quam primum ſumtus ſuppeditent, typis exſcribendum eſſe, idque hoc ipſo tempore, quo iſthæc ſcribimus, neſcio quo in loco ſub prelo ſudare dicitur. Quamvis de hac fama utpote incerta nihil auſim certi affirmare. Neque tamen *Rhedingium* ſine reſponſo *Ottius* dimiſit, ſed brevi poſt, anno ſcilicet 1681. ei Vindicias cum appendice de ſchismatibus Paparum repoſuit, paucisque foliis (in 4°.) vaſtum Rhedingii opus enervavit. Edidit eodem anno Ottius formâ octavâ *Novum jus Papale oppoſitum veteri juri Divino* Loca ex jure Canonico collecta complectens, cujus in

Epi-

ſtola Dedicatoria ad Viros Clariſſ. & Max. Rev. DD. Vejelium, Spizelium & Arnoldum ait ſe brevi iſta methodo falſas Romanenſium prætenſiones & jura ob oculos ponentem extremis tantum labris attigiſſe quæ in XII. Card. Baronii Tomos Concilia & decretales Paparum fuſius juxta ſeculorum annorumque ſeriem haberet parata.

8. Aſt enim Caſaubono defuncto diu nemo aptior & inſtructior eſſe videbatur, qui cum Baronio Goliatho illo tam proterve Eccleſiis Proteſtantibus inſultanti juſta pugna certaret, quam *David Blondellus* cujus extat liber Gallice editus Genev. 1641. fol. qui inſcribitur *de la primauté en l'Egliſe, traité ou ſont confrontez avec la reſponſe du Roy de la grande Bretagne les Annales du Cardinal Baronius.* Ex quo ſcripto aliiſque ab eo editis ſatis apparebat eum aptiſſimum eſſe, qui non modo alteram operis de primatu partem (vide *Claudii Sarra-*

vii

vii Epiſt. 4. & 6. & p. 17. ſeq.) abſolveret, ſed & univerſos Baronii Annales ad examen revocaret. Unde non tantum ab eodem *Sarravio* p. 308. Epiſt. aliisque viris doctis ad hanc rem provocatus, ſed & publicis ſtipendiis, cum Amſtelodami provincia Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ docendæ ei tradita eſſet, ad idem invitatus fuit. Enimvero Pontificii, neſcio an Jeſuitæ potiſſimum, cum cognoviſſent hunc infinitæ lectionis, judicii exactiſſimi & memoriæ feliciſſimæ virum ex Galliâ Amſtelodamum evocatum & ad refellendos Baronii Annales lauto ſtipendio quaſi conductum eſſe, ut ab hoc labore imprudentem avellerent, hoc ſtrategema commenti ſunt, quod per literas in memoriam nobis opportune revocavit Illuſtris Maſtrichtius. Ortâ controverſiâ de ſtemmate Regum Galliæ editis Joh. Jacobi Chifletii ſcriptis, Regi retulerunt neminem huic ſtemmati adſerendo aptiorem poſſe reperiri Davide

de Blondello : omnia enim Bibliothecarum, in Gallia præſertim, arcana ſtudioſiſſime ab eo perreptata eſſe. Igitur provincia hæc Blondello donis & promiſſis ad eam ſuſcipiendam excitato per Regem delata eſt, in qua ornanda cum magna induſtria deſudaret facile refellendi Baronii cœpit obliviſci contra quam Sarravius eum monuerat his verbis: *Conſulum Amſtelodamenſium pronus & benevolus erga te animus magno incitamento Tibi erit ad aliquid famæ Tuæ conveniens aggrediendum. Baronius vocetur ad partes, aliis forſan metuendus adverſarius, ſed tibi facili negotio debellandus. Ille ergo te totum occupet cum in publicis lectionibus tum in privatis ſtudiis, valeantque alia omnia præſertim vero Chifletiana. Hæc tibi oggerere non deſinam donec ſciero te magnum illud opus inchoaſſe, in quo etiam ſolo te exerceas. Tum etiam meminiſſe te oportebit ejus quod ſæpius mihi dixiſti, non poſſe te duo-*

duobus vacare, & neceſſe eſſe ut uni rei omiſſis aliis incumbas. Confer eaſdem Sarravii Epiſtolas p. 310. 314. 318. 323. At enim ab illo tempore vel quòd ſuccedens ſenium ſpes inchoare longas vetaret, vel aliis de cauſis impeditus Blondellus neque vivus aliquid contra Baronium edidit, neque poſt ejus mortem deprehenſum eſt, eum ſingulare opus Anti-Baronianum fuiſſe molitum, niſi quod exemplum Annalium Baronii ejus manu paſſim notatum & caſtigatum repererunt, quod etiam in Bibliothecam publicam Amſtelodamenſem delatum fuit, ibique aſſervatur. Notæ vero illæ, quas Blondellus manu ſua ad Baronium paſſim in ora libri adſcripſerat, ab *Andrea Magendeo* non integræ, ſed tantum in xxxiv. annos priores deſcriptæ, & cum Magendei Anti-Baronio ſive animadverſionibus in eoſdem annos, & Epitome Exercitationum Caſauboni editæ ſunt Amſtelodami 1675. fol. Quamobrem ut

reliquæ etiam Blondelli notæ ob ſcripturam lectu difficillimam hactenus in tenebris latentes propediem ſimiliter lucem adſpiciant, cum Celeberrimo Viro *Friderico Spanhemio* in dedicatione hiſtoriæ imaginum, non ab re optamus. Qui idem Vir Magnus tum in aliis ſcriptis, tum inprimis in introductione in *Hiſtoriam Eccleſiaſticam* Baronium frequenter & doctiſſime caſtigavit. Cui ad reliqua hujus generis perficienda floridam ſenectutem tota mente precamur & reſtitutas nuper poſt periculoſiſſimum morbum vires ſeriò gratulamur. Cum vero Caſaubonus in numero 232. Anni Chriſti xxxiv. deſiiſſet, in reliquos ejuſdem anni numeros Baronianos Exercitationes V. in Chriſtian-Albertina Academia edidit *Adamus Tribechovius* A. 1687. denatus: Magnorum in Eccleſiam Chriſti & rem literariam, meritorum Vir. *Joannem Georgium Dorſchæum* Virum ſummum poſt Caſaubonum, operi huic

huic quoque manum admoviſſe Baronium ut confunderet, fuerunt qui nobis ex auditorum olim ipſius ordine referrent, quouſque autem pervenerit non conſtat. Sententiam tamen Maximi Viri, qua omnes corporis Baroniani nævos in tabula exhibet, his verbis retulit *B. Reiſerus* Romæ non glorioſæ Sec. 1. p. 60. *Primò occurrere in illis frequentiſſimos errores Chronologicos. Secundo, eum noviſſimos Papiſmi errores in priſca conjicere ſecula. Tertio citare Pontificum Epiſtolas manifeſte ſuppoſititias Quarto Acta Cyromanni & Surii omnia ut authentica allegare. Quinto hiſtoricos probatiſſimos contra Romanam Eccleſiam teſtantes rejicere. Sexto Bibliothecæ Vaticanæ Manuſcripta ceu irrefragabilia objicere. Septimo Pontificum vitam etiam peſſimam promiſcue tueri. Octavo Imperatores etiam optimos temere conculpare. Nono Sanctos dubios pro certis venditare. Decimo Concilia antiquiſſima & probatiſſima*

mutilare & reformare. Undecimo; Aſiaticam & Orientalem Eccleſiam aliaque ad Eccleſiam pertinentia omittere. Duodecimo, Idolomaniam ſtudioſe in Tomis ſingulis jactare. Poſtremo ut *Joh. Frid. Krebſii* Paſtoris & Profeſſoris Helbrunnenſis conatus adverſus Baronium, de quibus *Sagittarius* pag. 319. introduct. *Georgii Wonnæ* diatribam de cultu Simonis Magi apud Romanos, Baronio oppoſitam Jenæ 1663. 4o. *Chriſtiani Noldii* Hafnienſis Theologi Vindicias Joſephi contra Baronium, Serrarium & Silianum, ſubjectas Hiſtoriæ ejus Idumææ A. 1560. 12o. & *Chriſtiani Kortholti* Theologi laude me majoris Collegæ deſideratiſſimi ſuperiori anno beate defuncti in Kilonienſi Academia Theologi, diſquiſitiones VII. Anti-Baronianas A. 1677. ſeqq. de variis argumentis à Severino Walthero Slutero in propylæo H. E. p. 27. recenſitis vulgatas omittam, *Vignieriumque* in theatro de Anti-

tichriſto & *Dan. Lipſtorpii* Lubecenſis formationem & excluſionem infrunitæ Monarchiæ Papalis, ſed & *Nicolai Vedelii* de Cathedra Petri tractationem, utraque Baronio oppoſita ſcripta prætercam, *Richardum* item *Crakantorpium*, quem adverſus Baronium ſcripſiſſe refert *Antonius Wood* in Antiquitatibus Acad. Oxon. parte 2. p. 18. ſeqq. *Philippum Mornæum* quoque in Myſterio iniquitatis quo jura Imperatorum, Regum & Principum Chriſtianorum adverſus Bellarminum & Baronium validiſſime, non obſtantibus *Jac. Gretſeri*, *Leonh. Coquei*, *Caſp. Scioppi*, & *Nicolai Coeffeteau* offeciis impugnavit. Neque jam attingam *Andream Rivetum* qui Mornæum à Coeffetelli objectis defendit, neque *Jacobum Uſſerium* Armacanum Archiepiſcopum, qui in libro de ſucceſſione doctrinæ in Eccleſia Baronium eruditiſſime caſtigavit, aliosque, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam perſecuti Cardinalem obiter

 paſſim

paſſim perſtrinxere, neque *Gerhardum Johannem Voſſium* memorem, vel *Claudium Salmaſium* aut *Alexandrum Morum*, qui Anti-Baroniana ſcripta edituri fuiſſe dicuntur, uti de *Voſſio* conſtat ex ejus Epiſtolis, Epiſt. 251. de *Salmaſio* ex Laur. Craſſii T. 2. de elogiis hominum literatorum p. 211. de *Alex. Moro* in præfat. ad Chronicon Euſebianum Scaligeri, ubi ſuas contra Baronium animadverſiones juſtum volumen effecturas memorat. A *Samuele* quoque *Basnagio* Exercitationes Hiſtorico-Criticas nuper admodum cum ingenti autoris laude & gloria in lucem emiſſas eſſe conſtat Ultrajecti 1692. 4°. in quibus initio facto ab A. Chriſti XXXV. decem proximos Caſaubono intactos annos Baſnagius iſte diligenter & erudite eſt perſecutus. Denique vir ſummus *Gerhardus van Maſtricht* infinita adverſus Annalium conditorem egregie obſervata inprimis de ſcriptoribus, quibus Baronius uſus eſt & alia

ad

ad ritus & antiquitates Eccleſiaſticas facientia, in ſcriniis ſervat, quæ ut rei Eccleſiaſticæ & literariæ bono poſt editam pridem elaboratiſſimam Juris Eccleſiaſtici Hiſtoriam quamprimum in lucem dignetur emittere, jure, meritoque ab eo flagitamus, & ad hoc efficiendum integras vires, jucundumque in vegeta ſenectute otium ei exoptamus.

CAPUT IV.

1. *Non tantum à Proteſtantibus, ſed etiam, quod caput eſt, à Romanæ Eccleſiæ ſociis Baronium malæ fidei accuſari.* 2. *Teſtimonia Carmelitarum, fidem Annalium Baronii elevantium.* 6. *De Benedictinis, & Ciſtercienſibus.* 7. *Dominicanis.* 8. *Auguſtinianis.* 9. *Fratribus Ordinis Minorum.* 10. *Et Jeſuitis Baronii fidei detrahentibus.* 11. *Ex Jeſuitæ Marci Antonii de Dominis judicium de Baronio.*

1. INter omne genus teſtimonium, quæ ab homine homini feruntur, nul-

nullum facile cogitari poteſt fide dignius, quam quod ab hoſte in laudem, vel in vituperationem à neceſſario & ſocio proficiſcitur, ut, tametſi aliàs & odium & amicitia ſuſpectos reddat teſtes, tamen ſi vel celebrari ab inimico vel à neceſſario vituperari aliquem contingat, illa vox omnibus ſtatim non efficta, nec fallax, ſed fide digniſſima, & ab ipſa veritate etiam invito extorta eſſe videatur.

Poſtquam igitur ſuperiori capite ex ore adverſariorum Baronii, hac quidem in parte cum fautoribus, aſſeclis & hyperaſpiſtis ejus conſentientium audivimus, quantis illius diligentiam laudibus, quantis ingenium præconiis in cœlum extulerint, cum iidem de fide ſimul & candore, ſæpe etiam de accuratione & peritia autoris Annalium graviter ſint conqueſti, quo de tota re certius conſtare poſſit, jam operæ pretium eſt, videre, utrum ſimiles querelæ etiam in eorum ſcriptis occurrant, qui eadem, qua Ba-

Baronius Eccleſiæ Romanæ communione uſi ſunt. Hoc enim ſi fiat, conſtabit facilè, cum illos hac in parte mentitos non fuiſſe non modo eorundem ipſorum, ſed & totius, cujus ſe membra profeſſi ſunt Romanæ Eccleſiæ non parum interfuerit, Baronii quoque adverſarios Proteſtantes, quando fidem omnes, multi etiam doctrinam in Annalibus majorem deſiderarunt, nihil affectibus dediſſe, ſed rem veriſſimam, nec ipſis Baronii amicis inficiandam ſuffragio ſuo approbaſſe, & argumentis dediſſe confirmatam.

2. Auſpicabimur vero à Monachis, quorum Ordines quoſdam ſive ſocietates luſtrabimus, in cæteris ſcriptoribus deinceps Patriæ potius ſive gentis, quam vitæ inſtituti rationem habituri. Neſcio porro an ullum genus Monachorum ſit vel ſuperſtitioſius, vel ſtudioſius fabularum, quam qui ſe *Carmelitas* vocant, & ab Elia Theſbite originem ducere ſomniant;

unde opinari quiſquam poſſet, nemini melius quam eis cum *Baronio* convenire, quia non iſte minus, quam illi commentis mirifice delectatur, inque falſis lectori perſuadendis laborat narrationibus. Sed mirum eſt quam parvi à Carmelitis Baronius fiat, quam exiguam fidem apud eos inveniat, quamque hi non dubitent Eminentiſſimo capiti, poſita omni reverentia, proterve inſultare, ut merito Baronius vel Carmelitarum reſpectu à B. Danhauero *infelix* vocatus ſit *Actæon a ſuismet moloſſis frequenter vexatus.* in Gamaliele Hebræo Teutone. p. 20.

3. Mittemus jam *Petrum Waſtelium*, qui ſuperſtite adhuc Baronio (ut teſtatur *Alegre* p. 476. 524. 532. 583. &c. *Carmelitici decoris*) ſcripſit, ſed aliquot demum poſt Baronii obitum annis Bruxellæ A. 1611. forma octava, adverſus Annalium conditorem edere auſus eſt *Apologeticum* pro Johannis Hieroſolymitani Monachiſ-

mo

mo in Carmelo, & pro libro ejuſdem de inſtitutione primorum Monachorum in lege veteri exortorum, & in Novo perſeverantium. Quod deinde ibidem A. 1643. fol. cum operibus Johannis illius eſt recuſum. Neque pluribus dicemus de *Thoma à S. Joſepho*, à quo Baronii fides non minus perſtringitur *in diſſertatione de Patriarchatu Carmelitarum* Eliano part. 1. ſect. 7. &c. Neque de illo denique *Carmelita*, *quem de centum erroribus Baronianis librum edidiſſe Waſtelius* retulit. Sed ex uno *Marco Antonio Alegre de Caſanate* nonnulla adſcribemus, unde cujus fidei auctoritatiſque apud Carmelitas Baronius ſit, lector abunde poſſit cognoſcere, quibus deinde ſubjecturi ſumus pauca quædam ejuſdem commatis ex *Johanne Sylveira Uliſſiponenſi*.

4. *Alegre* itaque cum ſub finem libri quem inſcripſit *Paradiſum Carmelitici decoris* (Lugd. 1639. fol.) prolixam pro Johanne Hieroſolymi-

tano Apologiam ſubtexere conſtituiſſet, primum ait, ſe diu veritum cum *Eccleſiaſticæ ſcriptonis Giganteo bellatore* pugnam cernere, nihilominus cum Johannes ille ita peſſime ab eo ſit acceptus, ut poſſit jam, ſi reviviſcat, pene repetere illud Alciateum:

Audent flagriferi matulæ, ſtupidique Magiſtri
Bilem, in nos olidi pectoris evomere.

Acri & attento conſilio judicaſſe ſe, & neceſſitate legis, fidei, & amicitiæ, & fraternæ charitatis debitæ jam obſtrictum, ut Baronio ſe objectaret, & *murum defenſionis* ei opponere ſuſciperetur. Hinc duobus prolixis tractatibus in Baronium invehi incipit, ex quibus hæc pauca tanquam floſculos quosdam decerpere voluimus p. 124. b.

Præmittimus quarto, probaturos, ſi ſit opus, nos eſſe, Divino Numine dante, Baronium (quo Spiritu

mo-

motum nescimus) *ſatis per tranſennam & leviſſima lima res decoris, & honoris Johannis iſtius Patriarchæ, imo totius Ordinis Carmelitani pertigiſſe, propter quod merito totus Illuſtriſſimus Marianus Ordo in cauſa Antiquitatis ſuæ ſcriptorem iſtum recuſare decrevit in ſempiternum. Hoc unum ſcivimus certum, ut Waſtelius in Apologia recenſet ex multis, quod ab eo tempore, quo Carmelita quidam librum edidit in lucem* de centum erroribus Baronii, *ſic in immaculatum Ordinem Marianum toto ſeveritatis, ne dixerim odii habitu irruiſſe, ut nullum non lapidem moverit, quo animum ſuum averſum à Carmelitis non exhibuerit.* p. 532. ait, Johannem Hieroſolymitanum à Baronio *abſque ulla ratione vel jure, viliſſima & horribiliſſima hæretici Origeniſtici (proh dolor) nota inſigniri & maculari.* p. 541. *Suſpiciones de Johanne à Baronio conceptas leviſſimas habitum iri cenſet à quibuslibet bene mo-*

moratis. Et p. 560. poſt allata veterum de Johanne elogia, *cumque hæc,* inquit, *omni veritate ſubnixa videantur, cui non fiet mirum, quod piaculum ſit Baronio pietas, benignitas, Zelus adquirendi Pelagium, & amoris in Chriſto oſtenta, lucrari Chriſto deperditam ovem, in Johanne uno ſolo Patriarcha proh male meritus de Baronio vir. Sit tibi gloria in Chriſto, ut pie credimus, dante tibi pro maledictionibus iis benedictiones æternas.* p. 562. *O crimen effictum! ô quam dira cineratione & jure fama Johannis laceſſitur injuria hîc!* p. 564. Baronium *multa* affirmat *confinxiſſe crimina in Johannem, lapidem factum offenſionis ſcripto ſuo, & anſam quoque nonnullis ſcriptoribus poſt eum, qui (ut pecudes arietes vel agni cicurem ſequentes uſque ad præcipitia dextrorſum vel ſiniſtrorſum, ex eo ſolum, quod cicur ſit, non dubitant, ſeſe aliquando media vel inter pericula conjicere, jacturam ſuam haud formi-*

midantes, & prævidentes) vel ex eo ſolum, quod Cæſar Baronius præierit in aſſerto, nullo alio examine interpoſito ab eis, illius ſunt veſtigia ſecuti, ut in eundem lapſum devenientes, innocentiam Johannis ſcriptis quoque ſuis labefactarent. Dignum certe eſſet, quod ab Annalibus ſuis omne id, quod honori & decori tanti Patriarchæ Johannis officere poſſit, eradatur, ne ſerpant longius tam falſe prolata, tam dure conficta, & tam inappoſitè conviciata in virum nobilem iſtum, Eccleſiæ Dei paſtorem egregium. &c. p. 583. hoc ſarcaſmo Baronium ſugillat. *Mira ſane res, quod ſuper ſenes Eminentiſſimus Baronius ſolus intellexerit, nullo ad rem hanc luſtrato iſtorum aut aliorum exhibito autore, & quod in re longiſſimæ vetuſtatis proſilierit, & ſuperaverit notitias eorum, qui à quadringentis annis, vel eis infra claruere literis illuſtriſſime notati, & noti nobiliſſima ſapientia.* Denique p. 592. conditori Ana-

na-

nalium ſtyli, animique impotentiam & acerbitatem ex odio profectam exprobrat his verbis: *Ait ſibi pie credens autor pius, & omnibus certe Bonifacius, vel benefaciens, Baronium optime meritum eſſe de Religione noſtra in eo, quod ab albo Carmelitico delere voluerit Johannem. Verum qua ratione id fecerit, exoptavimus noſſe, ut mereretur ex facto iſto Baronius de noſtra optime meritus cenſeri Religione, non ea certe, qua pius Jeſuita Bonifacius, & ſi qui ſunt alii multi candidæ religioſæque ejuſdem mentis, & farinæ. Nam dato etiam, quod, ut Baronius contendit, vere Johannes hæreſeos fuiſſet inuſtus igne, certe non optime merendi de noſtra Religione cauſa Baronius ipſe dictitavit, ſed ut antiquum initium & originem Religionis noſtræ (ut fuit ſemper, ut notat Waſtelius, Carmelitarum parum ſtudioſus & amans) fucis offunderet, & nebulis obtenebraret. Id quod ſatis aperte demonſtrant convicia illa in noſtros*

ſtros

ſtros illata, quibus tanquam ſuperbos, deliroſque (ſcripſerat Baronius ad A. C. 444. n. 17. & recte, ni fallor, ſcripſerat: *flagranti cupiditate antiquæ originis cogi homines interdum delirare.) priſcos Carmeliticæ Religionis Patres injuſte ſugillat: qui pacato quidem, & temperato animo, (ſi tranquillitas fuiſſet in eo cordis quæ liberum ſuæque prudentiæ compotem omnino virum reliquiſſet) ſententiam ſuam ſatis poterat ſtylo mitiori expoſuiſſe, & ſuffulciſſe ſolidioribus argumentis, ut noſtram, quæ ſi illi minus fuerat vera viſa, lenius, mitius & pacatius reprehendiſſet: quo quam multi nobiles ſcriptores laudis palmam, ob ſingularem in reprehendendo comitatem, manſuetudinem & modeſtiam compararunt, ſibi potuiſſet facillimo negotio comparare tam ſtrenuus Eccleſiaſticarum rerum ſcrutator, indagator, & ſcriptor.*

Hæc & plura alia in Baronium dicto libro *Marcus Antonius Alegre.*

Similiter Cardinalem etſi nomine præterito perſtringit Carmelita *Johannes de Carthagena* de ſacris arcanis Deiparæ Mariæ de monte Carmelo acturus lib. 17. cap. 1. p. 197. Vide B. Joh. Georgii Dorſchei ſemeſtre Tiburtio Dionyſiacum p. 87.

5. *Johannes* quoque *Silveira* Uliſſiponenſis, Lector Theologiæ primarius & jubilatus inter Carmelitas non magis dubitavit, Baronio procaciter inſultare, ejuſque fidei mirificè detrahere. Nam in variis opuſculis Lugduni A. 1687. fol. editis, cum ex Annalibus ad A. C. 1181. retuliſſet, ex Baronii ſententia Carmelitarum Religionem originem duxiſſe ab Aymerico Patriarcha Antiocheno, hæc parum profecto Reverentiæ erga Cardinalem, fideique ſpirantia ſubjicit. *Valde mirum, quod eminentiſſimus Dominus Cardinalis talem proferat ſententiam abſque aliquo autore, fundamento, & ratione in re tam gravi & antiqua, & ut optime ait*

ait Caramuel Abbas Satrianenſium, & Campanienſis Epiſcopus Apologia pro doctrina de probabilitate Epiſt. 4. *n.* 22. *ait,* Sum jam aſſuetus Baronio non credere dicenti, ſed non probanti. Ergo cum Baronius non probet, ſed dicat, ejus dictis non eſt ſtandum. Et contra hanc ſententiam inſurgunt omnes noſtri Doctores. &c.

6. Longe major numerus Carmelitarum Baronium ſugillantium adduci poterat, cum vix quisquam ſit eorum, qui vel origines *Ordinis Carmelitici, vel res Johannis Hieroſolymitani* perſecuti ſunt, qui Baronium invexatum transmiſerit. At enim in aliis etiam Monachorum ſocietatibus reperiuntur, qui Baronii fidem paſſim ſuſpectam ſibi eſſe ſunt profeſſi, cujus rei fidem faciat vel *Benedictinus* ille, qui duo millia errorum ſe in Baronii deprehendiſſe Annalibus affir-

mat, uti ex quadam epiſtola Sciop-pii, quam infra integram apponemus, refert *Paulus Colomeſius* in Bibliotheca Selecta p. 110. Benedictini quoque ordinis in Abbatia S. Johannis Ipris Flandrorum Prior *Henricus Zypæus* A. 1611. 8°. vulgavit librum, quo Gregorium Magnum primumque eo nomine Pontificem Romanum adverſus Baronium Benedictinis vindicavit. Et non ita pridem *Hugo Mathoud* in calce catalogi Archiepiſcoporum Senonenſium Apologiam pro Leotherico, quem Berengarianiſmi Cæſar poſtulaverat, adverſus Baronium edidit, p. 212. edit. Pariſ. A. 1688. in qua eum ira, & præcipite judicio cum inſigni veritatis injuria abreptum citra cauſam præſuli illi inſultaſſe, notamque hæreſeos inuſſiſſe oſtendit. Unde hæc ipſi nata emblemata. *Non potuit durius iraſci Baronius, nec cum majori veritatis injuria* p. 213. *ut nulla mihi ſubſit conjectura, cur Baronius literæ patroci-*

cinio deſtitutus in pravum ſenſum vera detorſit, p. 214. *mendacii fuco præventus Baronius* ibid. Neque *Johannes Mabilonius*, aliique hodie eruditi Benedictini Baronianis effatis uſque quaque ſubſcribunt, verùm paſſim innuunt, ſe videre, & animadvertere, quæ vel partium ſtudio, vel linguarum rerumve imperitia & ignoratione ab Annalium conditore præterita, aut perperam propoſita fuerint. Inter *Ciſtercienſes*, *Franciſcus Bivarius* Mantuâ Carpentanus, in Commentariis ſive commentis potius ad ſuppoſitum Lucio Dextro Chronicon ſub his lemmatibus Cardinalem fuſe perſtringit: *Baronius perperam annum urbis deſignat ſub quo natus eſt Chriſtus. Non audiendus dum negat S. Petronillam fuiſſe verè filiam S. Petri. Nec rectè ſentit de adventu S. Jacobi in Hiſpaniam prædicationis gratia, nec de antiquitate Epiſtolæ S. Jacobi, nec de anno adſcenſus Pauli Hieroſolymam poſt conver-*

ſionem, nec de conſecratione templi S. Jacobi. Sibi eſt contrarius dum de anno necis Apoſtolorum agit &c. &c.

7. E *Dominicanis* nefas fuerit hoc loco incommemoratos prætermittere, *Franciſcum Combefis*, & *Natalem Alexandrum*, quorum ille cum alibi, tum in Hiſtoria Monothelitarum in Baronii negligentiam & malam fidem ita eſt acerbe invectus, ut ob illa in Cardinalem durius dicta, hiſtoria illa à Sacra Congregatione prohibita fuerit (vide Launoii Epiſt. 555.) Sublevavit nos collectionis labore *Theoph. Raynaudus* Lojolita T. XII. opp. m. 659. *Cæſar Baronius, cum aliis tetris notis dehoneſtatus recens eſt, à J. Franciſco Combeſis Ord. Prædicatorum, in hiſtoria hæreſis Monothelitarum, tum hac nominatim, inconſtantiæ & levitatis in qua verſamur.* Id enim ferunt quæ autor ille p. 15. his verbis tradit: Non ſibi conſtat Baronius; male in Heraclio laudans, quod poſtea reprehendit: ac nec de

Ser-

Sergio agens, ſibi ipſi cohæret. p. 16. Equidem magnus mihi ſit qui ſibi ipſum Baronium in his & ſimilibus concordem invenerit ac præſtantem quod eſt accurati ſcriptoris. Rurſus p. 19. Quod ad Baronium ſpectat res implicantem, ſibique multa contraria ſcribentem omninò inveneris. Et p. 26. Quod ipſum Baronius verbis initio relatis, nec videns quid loquatur agnoſcit. Meſſem gravium aliorum in Baronio defectuum ex hoc ejus criminatore licet colligere. Specimen duntaxat modicum exhibeo. p. 35. Importunè excuſat, abſona congerit Baronius. p. 40. Falſam cauſam confingit Baronius. p. 58. Calumniam ſtruit Baronius Actis Sextæ Synodi. p. 111. Baronianum commentum eſt, nullo teſte qui dicat; vel ex quo probabili ſaltem ratione colligat. p. 112. Baronii mala correctio in annis Theodori. Quot periodi tot graves lapſus & mirabiles. Obſtinato Baronius errore bonus illuſtratur, falſa

tribuit Theodoro. p. 115. Baronius ad libitum fidem detrahit, additque Actis Synodicis. p. 118. Gravis lapſus Baronii, ſunt omnia Baronio arbitraria. Haud ſcio, ubi hæc ita Baronius, aut quibus oculis legerit. p. 127. Inconſona Baronii argutatio & inconſideratio. In eo ridiculus Baronius. p. 137. Levi Baronius fundamento Conſtantem calumniatur. pag. 140. *Fingit Baronius.* p. 145. *Eliſa omnino commentitia Baronii depravatio.* p. 153. *Levis Baronii argutatio.* p. 159. *Male Baronius invertit verba Patrum, magna plane licentia ut qui illa ſuo quæque propoſito invita accommodet.* p. 188. Baronius incautior Epiſtolæ Honorii laudator. p. 189. Baronius procacior in Synodum. Quibus ut Baronius interminetur Paulinum anathema, valde audax eſt, & cui illud ipſum anathema ſit timendum. p. 662. Sane miror hiſtoriæ patrem, tam futilibus argumentis ſtabilire opinationes ſuas, ſeu potius

ri-

ridiculas facere, ut quis eorum vim ad amuſſim exigat. p. 1031. Portentoſa Baronii hallucinatio & inconſonantia. Pag. 740. Tomi ſecundi poſt varias minutas Baronii vellicationes. Hæc obiter, exſufflandis tot ſub una ferè periodo contentis erratis. Ibid. p. 991. *nimia Baronii oſcitantia, error craſſus. Natalis* vero *Alexander* in ſelectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ capitibus Annales, eorumque auctorem ſimiliter paſſim caſtigavit, eique non ſemper credendum, multum autem ejus tribuendum eſſe paſſionibus oſtendit.

8. Inter *Auguſtinianos* ecce tibi virum doctiſſimum, & cum antiquitatis univerſæ, tum Eccleſiaſticæ præſertim & Chronologiæ peritiſſimum *Henricum Noris*, Veronenſem, hodie ex virtutum meritis Romanæ Eccleſiæ Cardinalem, qui non tantum in editis ſuis ſcriptis, *Hiſtoria Pelagiana*, aliisque, Baronii lapſus ſæpe & graviter perſtrinxit, ſed & animus ipſi fuit *ſingulari opere Baronianorum*

Annalium emendationem in ſe ſuſcipere, eorumque infinitos errores animadvertere, & demonſtrare. Verum poſtquam inaudierat, *Chriſtianum Lupum* ejuſdem ſodalitii Auguſtiniani ſocium, & pluribus in re Eccleſiaſtica editis libris celebratiſſimum, eandem Baronii caſtigationem meditari, animo & cogitatione aliò ſe convertit: quamvis *Lupus* quoque (quod valde dolemus; non enim proletaria à Viro Doctiſſimo ſibi literatus Orbis polliceri poterat) vita prius ereptus quam opus animo conceptum in lucem exponere potuiſſet. *Noriſius* autem ob ea quæ in Pelagiana Hiſtoria Baronio oppoſuerat peſſime acceptus fuit à *Brunone Neuſſero* in *Prodromo Veritatis*, ſic enim librum ſuum inſcripſit, *quo Auguſtinus, Baronius, Bellarminus &c. vindicantur à calumniis Henrici de Noris.* Moguntiæ 1676. fol.

9. Sed quod par illud inſigne Auguſtinianorum efficere conſtituit, re-

ipſa

ipſa demum effecit viris maximis comparandus *Antonius Pagi* Theologus Ordinis Minorum conventûs S. Franciſci. Criticam enim ille Chronologicam in univerſos Baronii Annales, ſervato Spondani ſelectu & ordine compoſuit, *cujus tomus primus vulgatus eſt Lutetiæ A.* 1689. fol. quatuor prima à Chriſto nato ſecula complexus. *Tomus ſecundus* in quatuor proximas annorum Centurias ſuperiore anno ibidem in lucem editus nec dum ad manus noſtras pervenit. Tertium porro adhuc in quatuor poſtrema ſecula volumen, eadem methodo & diligentia digeſtum idem autor à ſe expectari juſſit, quo ad umbilicum perducto *poterunt*, inquit ille, *hæ notæ, ſi Deus vitam dederit, pluribus augeri, & Annalibus in nova, correctiſſimaque eorum editione, quam librarius meus meditatur, nullo negotio inſeri.* Cujus generis inſtitutum memini etiam Tibi aliquando, Illuſtris Maſtrichti, in men-

mentem veniſſe, ut edito Annalium integro operi ejuſque continuatori Spondano doctorum virorum animadverſiones, Tuæ præſertim jugiter adjicerentur, atque ita hæc junctim evulgata vicem ſyſtematis plenioris Hiſtorici ac præcipue Eccleſiaſtici præberent. Quod non poſſet non eſſe utiliſſimum, ſi quod optamus otium & ætas, ſi aliorum virorum doctorum ſuccenturiata induſtria, ſi magnorum denique Principum benignitas ei velut fœtui in lucem protrahendo manus obſtetricias afferrent. Tria autem potiſſimum ſibi in hoc opere fuiſſe propoſita *Pagius* ipſe non diffitetur, illuſtrationem nempe hiſtoriæ, rerum prætermiſſarum ſupplementum, & Chronologiæ Baronianæ emendationem. At enim præter Chronologica peccata crebram etiam in aliis rebus Baronii oſcitantiam malamque fidem paſſim proſtituit, etſi errores illos non fallentis fuiſſe autoris mendacia, ſed ignorantis ma-

maluit aſſerere: quod uti de omnibus falſum eſſe nec ipſi affirmare velimus, ita verum eſſe de omnibus, & res ipſa & multi alii Pontificii ſcriptores credere nos non ſinunt.

10. Quid *Jeſuitæ?* de quorum Societate optime videtur meritus eſſe Cæſar noſter, accipe quæ de illo *Nicolaus Orlandinus*, Hiſt. Societ. Jeſu lib. xvi. p. m. 577. tradit. Cæſar Baronius Cardinalis vir pariter animo, doctrina & pietate magnus & acer diutius ferre non potuit. Anno 1599. in templum Profeſſorum, die anniverſario B. Patris cum Cardinali Bellarmino ad Socios è Romanis domiciliis congregatos adhortationem habituro venerat. Ubi Bellarminus finem dicendi fecit receſſitque, cæteris omnibus ad ſepulchrum B. Patris flexo genu pauliſper orantibus, Baronius & ipſe proſtratus, ſolumque ubi ſacræ ejus reliquiæ ſervabantur, exoſculatus, interiore motu inſtinctus,

ctus, interrogat, cur B. Patris effigies publice honoranda propoſita non ſit: noſtrisque de more modeſtiam obtendentibus, continuo, inquit, effigiem, ſcalasque afferte ad me. Quibus allatis ipſe acceptam tabulam primum religioſe veneratur: dein ſcalis aſcenſis ſupra ſepulchrum ſuſpendit, adoratque rurſus; plerisque ſociorum, qui omnes in genua provoluti perſtabant ad inſperatum dulciſſimi Parentis conſpectum ubertim flentibus. *Hactenus Orlandinus.* Certe ab horum quoque ſcriptis Baronii fidem non parum labefactatam fuiſſe deprehendimus, quod vel ex *Dionyſii Petavii* temporum doctrina poteſt intelligi, & ex ejuſdem ad *Epiphanianas hæreſes animadverſionibus* conſtat, quas ad Baronium confutandum potiſſimum ab autore ſuo ſcriptas fuiſſe innuit *Guido Patinus* Epiſtola XI. Ac *Rosweidus* ipſe, qui tanta cum animi contentione Baronium adverſus Caſaubonos Cappelloſque defendendum

ſuſce-

ſuſcepit, eundem in ſuis ad vitas Patrum obſervationibus non dubitat frequenter notare & reprehendere. *Petrus* vero *Halloix* Græcæ imperitiam linguæ Baronio exprobravit. T. 2. de ſcriptorum Orientalium vitis. p. 730. :ui addes *Danielem Papebrochium* in Actis Sanctorum Tomo V. Maji in Commentario de Conſtantino Mag. 10. cap. 2. n. 13. Imprudentiam Cardinali objicit *Caſpar Sanctius* Jeſuita tractat. 2. de prædicatione S. Jacobi in Hiſpan. p. 47. Etiam à *Jaco-o Sirmondo* Jeſuitarum quotquot ſun: uotquot fuere doctiſſimo & candi iſſimo in tractatu de azymis & ii liis ſcriptis, Baroniana ſententia ca igatur. Ut omittam *Ludovicum Maimburgium*, ob votum obedientiæ, uod libro *la decadence de l'Empire* iolaſſe dicebatur, ſocietate Jeſuitica ectum (vide Illuſtr. Seckendorfi liſtoriam Lutheraniſmi lib. 1. p. 4. qq.) qui in tractatu Hiſtorico de omanæ prærogativis Eccleſiæ ſcriptiſ-

ptiſque aliis Baronio minime pepercit; & in Hiſtoria Pontificatus Gregorii M. etſi incredibile ſibi ait videri octo millia mendaciorum *(fauſſetez)* ab Holſtenio in annalibus Baronii obſervata, numerum tamen ſat locupletem errorum in eo occurrere non dubitat. Etiam, quamvis in Jeſuitæ *Bellarmini* vita teſtatur Fuligatus, eum Baronio familiariſſime uſum, ejuſque morti illacrymatum eſſe, non difficile tamen fuerit oſtendere, & hiſce etiam duobus promachis, ſive, ut Scaliger appellat, *Euangeliſtis Curiæ Romanæ*, unum ab altero paſſim argui vel fraudis, vel erroris, atque ex Bellarmini ipſius ſcriptis, ex illo præcipue, quod de ſcriptoribus Eccleſiaſticis edidit, Baronium innumeris locis caſtigari, *& vel imperitiæ in producendis falſis confictisque monumentis, vel malitiæ convinci poſſe.* Verum cum hoc argumentum fusè in cenſura veterum ſcriptorum perſecutus fuerit *Robertus Cocus*, neque Baro-

ro-

onium nominatenus Bellarminus pertrinxerit, hæc & ſimilia jam prætermittere maluimus. *Frontonis* porro *Ducæi* quæ fuerit de Baronii Annalius ſententia, abunde ex Caſaubono n Exercitat. ad Baron. & Epiſt. ad Ducæum colligi poteſt. Jacobi vero Gretſeri judicium non eſt omittenum, quod de Baronio his verbis tut in libro de Epiſcopis Eyſtettenſius: *Cum doctiſſimus & celeberrimus ic Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Pater non aberet ubi pedem figeret, jam hoc im illud ex diverſis & contrariis utoribus in annales ſuos ſine accuratore examine tranſtulit.* Cæterum aronium tametſi doctiſſimum hanc nam ob cauſam, quia Jeſuita non uit, à ſupercilio Jeſuitarum deſpici : contemni ſcripſit *Salmaſius* ſub *Simplicii Verini* nomine latens in Eiſtola de poſthumo libro Grotii p. 8. Cui maxime Rev. *D. Valentinus Alerti* in libro vernacula lingua edito e *Florimundi Ræmundi hiſtoria hæ-*

reſium, aliisque Pontificiorum libris germanice vulgatis. p. 37. ſuccinit. Et pridem ex B. Dorſchei commentario MSto in Lucam ad capitis 3. v. 2. obſervavimus *inter Jeſuitas paucos eſſe qui Baronio æqui ſunt, quia ipſe illis præripuit occaſionem ſcribendorum Annalium, quibus Jeſuitæ quoque nos voluerunt obruere.* Vide Meditationes noſtras in Jonam parte 1. p. 220. unde plurium Jeſuitarum de Baronio licet judicium cognoſcere, etſi hoc illorum non minus ipſorum, quam Baronii fidei detrahere videatur. Neque defuere tamen qui Baronium ipſum Jeſuitis imprudentes accenſerent, uti Thomas Mortonus Anglus, quem hiſce verbis perſtringit Nicolaus Serarius Lojolita lib IV. Minervalis capite 1. *Lojolita certe non eſt qui de S. Hieronymi libris meritus optime eſt, Marianus Victorinus, niſi Catholicos omnes Lojolitas putet Druſius, quemadmodum aut inſigni malitia in falſis nonnunquam &*

cri-

criminoſis rumoribus Jeſuitarum iis nomen perlibenter tribuitis, aut ſumma quadam inſcitia, ut nuper in ſuo Jeſuitarum Catalogo Reverendiſſimum & Illuſtriſſimum Baronium Cardinalem recenſuit Mortonus Anglus, tanquam ſi Arcturum aut Orionem inter infimæ magnitudinis ſtellas imperitus numeret Aſtrologus. Idem ſphalma bis repetitum deprehendas in B. Chriſtiani Matthiæ Theatro hiſtorico, ubi agit de Dario Hyſtaſpe: & nuper admodum Vir Cl. Melchior Leydeckerus in Hiſtoria Janſeniſmi triplici minimum vice Baronium pro Jeſuita Lectoribus venditavit, ſimili errore quo Montaltium perſonatum annumeravit Dominicanis, quem nemo ignorat eſſe Blaſium Paſcalem Scutarium nobilem Gallum, ut pridem monuimus in Diſſ. Select. p. 129.

11. *Marcus* quoque *Antonius de Dominis* Archiepiſcopus Spalatenſis, Jeſuita fuit, ſi fidem habemus Joh. Micrælio p. 662. Compendii Hiſto-

riæ Eccleſiaſticæ prioris edit. Neque hac in parte memoria fefellit virum doctum, *quia adoleſcentem eum Jeſuitarum Societatem ingreſſum*, poſtea vero Epiſcopatui inhiantem, contra regulas Ordinis illius, ſocietate pulſum autor eſt *Gabriel Barthol. Gramondus* lib. 3. Hiſt. Gall. p. 196. Quamvis neque *Alegambe* neque *Sotwellus* in Bibliotheca ſcriptorum Jeſuitarum ejus ut Apoſtatæ mentionem facere ſunt dignati: qui *Sotwellus* eadem ratione, ut obiter hoc obſervemus, moveri ſe permiſit, ut *Jacobum Reihingium* quoque ab *Alegambio memoratum* prætermitteret, uti ab utroque prætermiſſi *Guil. Poſtellus*, *Joh. Papirius Maſſonus*, aliique Ordinis Lojolitici deſertores. Juvat igitur hoc loco Antonii illius de Baronio judicium adjungere iis, quæ aliorum ex Jeſuitarum ſententia jam in medium attulimus. Ita vero Marcus Antonius de dominis libri quarti de Republ. Eccleſiaſtica cap.
10.

10. n. 1. *Noſtri moderni monachi leviſſima quæque indicia anxie exacteque collegerunt, & ea in immenſum multiplicarunt, ut quem firmarum rationum momentis non poterant, apparentium autoritatum & exemplorum attollerent, erigerentque papatum. Sanderus profecto pro omnibus laboravit unus, & non librum ſed volumen hujusmodi ſophismatis implevit de viſibili Monarchia lib. 7. ad ipſam Papatus arcem conſtruendam: conglobavit enim numerum argumentorum & exemplorum ultra duorum millium. Sed nec Baronius pepercit labori, cujus duodecim magni tomi Annalium ſcopum illum unicum habere videntur, ut Romanus papatus ſtrenue gnaviterque ſtabiliatur. Ac propterea non hiſtoriam Eccleſiaſticam, ut par erat, & inſtitutum poſcebat, ſed Apologiam perpetuam nobis edidit, imo & hiſtoricas veritates ſæpiſſime corrupit, & labefactavit, ut vel papatui prodeſſent, vel ſaltem*

non obeſſent. Atque huc tota ſua illa ſcriptione collineaſſe vel ipſius confeſſione redditur manifeſtum, ait enim tom. 7. ad A. 534. n. 35. & ne quis putet, nos iſta dicentes hyperbolas loqui, legat digeſtos à nobis hactenus ſingulos annos, & vix eorum inveniet aliquem, in quo ſupremæ Romanæ Eccleſiæ ſuper omnes Eccleſias non eluceat vel dictis vel factis autoritas. *Atque hoc ipſum eum conari non modo in annis omnibus præcedentibus, ſed etiam in ſubſequentibus per totos Annales, quos edidit, eſt veriſſimum. Bellarminus cautior ſelectiora poſuit exempla.* &c. Idem lib. 7. capitis decimi numero 97. *Baronius audaculus ſenex ſua ſomnia ſecutus, ut idiotis, qui per tranſennam ejus ſcripta legunt, tunc ſapere videatur, quando maxime deſipit, quod omnes antiqui aſſerunt, ipſe perfricta fronte negat. Sed liceat mihi obſecro, pie lector, ad hæc quoque digredi, ut monearis, tibi parum admodum fidendum*

dum eſſe vaſtis illis Baronii Annalibus, ſicubi aut veram cupias rerum geſtarum Chronographiam, aut tuta documenta quæras, quæ ex rebus geſtis poſſunt haberi. Baronius enim ſæpe ſuis per ſomnium divinationibus, ut toties ego jam in hoc opere obſervavi, nititur, ſæpe Chronographiam veram per ſummam inſcitiam corrumpit, ſæpiſſime ex factis colligit ea, quæ nullo modo colligi poſſunt, univerſe dicam, Annales illi ſtudioſo homini laborem duntaxat imminuere poſſunt, dum in illis collecta facile eſt cernere, quæ per plurimos libros ſparſa ſunt, quos omnes neque facile eſt cuique obvios habere. Reliqua omnia, quæ autor ex ſe interſerit, (ea vero plurima ſunt) ſive illa ſint Theologica, ſive moralia, ſive eruditoria, ſive in quocunque dicendi, ſcribendique genere, flocci facienda ſunt omnia, ſiquidem judicia Baronii aut levia ſunt, aut imperita, aut depravata. Firmabo nunc hanc meam cenſuram exemplo hujus hiſto-

riæ ad ſchiſma Antiochenum pertinentis, in qua miram videbis hominis audaciam cum ſumma inſcitia conjunctam. Utinam detur mihi aliquando otium, & opportunitas, ut illius colligam lapſus omnes, & turpia errata corrigam. Id enim mihi in votis eſt maxime, ne viri ſapientes illis Annalibus confiſi, claudicanti innixi ipſi quoque in rebus gravioribus claudicent. Hæc de Baronii Annalibus Archiepiſcopus Spalatenſis, qui plurimis aliis ejuſdem operis locis Baronium graviter & eruditè perſtringit, & ut alia jam omittam, libri VI. cap. 9. veteres Imperatores adverſus ejus irreverentiam prolixe tuetur, & per totum illius libri caput duodecimum refellit, *quæ ab Annalium conditore de Monarchia Siciliæ literis ſunt* conſignata.

CA-

CAPUT V.

1. *Hiſpani Baronio negotium faceſſentes ſuper iis, quæ de jure Pontificis in Regnum Siciliæ ſcripſerat.* 2. *Et quod Jacobum negavit in Hiſpaniam veniſſe.*

1. ADeo vehementer Pontifici adulatus eſſe in opere ſuo deprehenſus eſt Cardinalis, ut Reges etiam Romanæ ſedi addictiſſimi ac nominatim Catholici id ferre amplius non potuerint, ſed autoritate Majeſtateque ſua ejus ſe ſint objicere ſcriptionibus coacti. Nam præter alia ſummis principibus minus ferenda in undecimo Annalium tomo ad A. C. 1097. n. 14. ſeqq. bene longam ſubnexuit diſſertationem, qua Pontifici aſſerere conatus eſt jura in Siciliæ Regnum, quæ Rex Hiſpaniarum ſibi merito hactenus vindicarat. Hinc non tantum edicto Regis & per Pro-Reges

Siciliæ ac Neapoleos *tomus iſte proſcriptus fuit*, *chartæque illæ manu carnificis exuſtæ*, & *Bibliopola Neapolitanus*, *qui exempla earundem venum expoſita divulgaverat*, *ad remos damnatus eſt*, ſed & Baronius ipſe non multo poſt factione Hiſpana excluſus fuit à prima ſede, ad quam cæterorum ſuffragiis, meritiſque & autoritate aſpirare videbatur. Quam rem pluribus traditam videre eſt à *Thuano* lib. 50. *Grammondo* lib. 1. Hiſt. item in lib. 3. *legationum Perronii* p. 538. ſeqq. à *Giſberto Voëtio* p. 387. *deſperatæ cauſæ papatus*, & aliis, *Cl. Sagittario*, p. 298. *introduct.* adductis item ab autore conclavis Leonis XI. ex quo refert nonnulla *Joh. Georgius Fueſelinus* in Conclavibus Romanis reſeratis. p. 484 485. Edictum ipſum Regis Hiſpaniarum Philippi II. Anti-Baronianum nuper produxit Clar. *Samuel Basnage* in limine exercitationum hiſtorico Criticarum, quas conditori Annalium oppo-

poſuit, produxit vero ex *Goldaſto* T. 3. de Rom. Monarchia. Etiam Romæ in Conclavi à Cardinali Comio productæ literæ tanquam à Pro-Rege Siciliæ ſcriptæ ad Purpuratos, quibus rogata *prohibitio Annalium Baronii, ut refertorum mendaciis, & in præjudicium Regis Catholici vertentium.* A Cardinalibus Hiſpanis Baronius ineptus judicatus, qui in Pontificatus ſummi faſtigio collocaretur, *ſcriptor plagiarius* & *aculeatus*, *qui vix uni Parochiali Eccleſiæ regendæ videretur ſufficere*, & in curanda propria familia difficilem ſe, & prope tyrannicum exhibuerit, qui denique de Siciliæ Monarchia, de Mediolanenſi jurisdictione, & Apoſtolatu Jacobi Hiſpanico non toleranda Regi literis commiſerit. Publico quoque ſcripto Baronius vehementer reprehenſus eſt à *Cardinale Aſcanio Columna*, Clementis VIII. odium propterea incurrente, ſed à Rege Hiſpaniæ ad præfecturam Re-

gni

gni Tarraconenſis evecto, qui librum *de Monarchia Siciliæ* adverſus Annalium parentem edidit, *à Goldaſto* etiam T. 3. de Monarch. Rom. inſertum & una cum Baronii tractatu (in Antwerpenſibus Annalium editionibus juſſu Regis Hiſpaniarum omiſſo) & reſponſione ejuſdem ad Columnam recuſum Pariſiis Anno 1609. forma octava. Cardinalis Baronii Epiſtola ad Regem Hiſpaniæ qua ejus animum delinire voluit edita Lugduni Batavorum A. 1619. ex muſeo Joachimi Morſii, ſcripta à Cardinali circa Aprilem vel Majum Anni 1605. Videndus etiam *Alberti Piccoli* Meſſanenſis liber de antiquo jure Siciliæ impreſſus Meſſanæ forma quarta. A. 1623. & *Marcus Antonius* de Dominis, loco, quem in fine ſuperioris capitis innuimus, ſed & *Johannes Beltranus de Guevarra* in diſſertationibus de principio Monarchiæ in Sicilia adverſus Baronium Hiſpanice vulgatis Pinciæ 1605. fol. Ita ſede ſum-

ſumma excidit Cæſar, cujus aſſeclæ & Fautores jam præmia, ac munera à Baronio in apicem illius dignitatis evecto ſibi concedenda liberaliter inter ſe diſtribuerant, uti ex eodem conclavi Leonis XI. refert *Fueſelinus* p. 499.

2. Præterea Hiſpanos etiam graviter offendit, quod Jacobum Apoſtolum, etſi recte illud quidem, in Hiſpaniam veniſſe inficiatus eſt. Quamobrem multis vapulat Baronius in libro Hiſpanicè ſcripto, cujus titulus *Vindicias tutelares Hiſpaniarum* præ ſe fert, quique Latine ab *Erycio Puteano* tranſlatus prodiit Lovanii A. 1608. in octavo ordine, ut *Franciſcum Bivarium*, aliosque adventus Jacobi in Hiſpaniam fervidos aſſertores omittam. Sane illuſtris Gerh. van Maſtricht non dubitat Chronicon ſub *Flavii Lucii Dextri* nomine vel hanc ſolam ob cauſam à ſiniſtro aliquo tenebrione confictum & tanquam è tenebris Bibliothecæ Fuldenſis erutum

à

à Bivario cum prolixis commentariis vulgatum eſſe, ut contra Baronium hæc fabula de Jacobi in Hiſpaniam adventu aliaque non multo melioris commatis à ſuperſtitioſis Hiſpanorum jactata adſtruerentur. Cæterum nemo eruditior hodie fraudem illam ſuppoſiti Dextro Chronici ignorat, quod præter alios Pontificios ipſi jam fatentur Hiſpani, è quorum numero *Nicolaus Antonius* vir doctiſſ. & candidiſſimus, trophæum Hiſtorico-Eccleſiaſticum ex manubiis Pſeudo-Dextri edere promiſit T. 2. Bibl. Hiſpan. p. 119. quo totam illam fraudem civibus ſuis teſtatiſſimam facere fuit illi conſtitutum. Sunt qui commenti architectum vocant Hiſpanum Monachum *Romanum de Higuera*. At ex Bivario in Apologia pro Dextro c. 1. p. 13. recte quis colligat *Hieronymum de Higuera* ei nomen fuiſſe, ait enim Thomam de Toralba codicem Wormatiæ à ſe deſcriptum miſiſſe in Hiſpaniam ad Patrem Hieronymum de la

la Higuera cum literis datis anno Domini 1594. De Bivario autem Monacho Ciſtercienſi, quàm libere is Baronium reprehendat, ſupra capite IV. diximus.

CAPUT VI.

De Pontificiis ſcriptoribus Gallis qui Baronii fidem, & candorem in dubium vocarunt, eumque caſtigarunt.

I. QUam ſuſpecta fuerit fides Baronii doctiſſimis ſuæ ætatis viris inter Gallos, vel inde conſtare poſſit, quod *Jacobus Auguſtus Thuanus*, *Petrus* & *Franciſcus Pithoei*, & *Nicolaus Faber* Caſaubonum ad ejus confutationem aggrediendam ſunt hortati, ut ſupra ex *Abr. Sculteti* vita diximus. Et Thuanus, cum ab auctore Annales ſibi muneris loco obla-

oblati fuiſſent, hæc verba manu ſua primo tomo inſcripſit:

Auctor cum primùm animum ad ſcribendum appulit, Id ſibi negotii credidit ſolum dari, Pontifici ut placerent quas feciſſet fabulas.

Quam rem poſt alios narrat *Johannes Melanchton* in exegeſi Poëmatis Thuani, p. 17. *Petrus* vero *Pithœus* vir & doctiſſimus & cordatiſſimus, cum primos tomos eorundem Annalium inſpexiſſet, dixit, *non Annales Eccleſiaſtici, ſed de poteſtate Papæ verum nomen iſtis Baronii lucubrationibus futurum*, quod teſtatur *Iſ. Caſaubonus* in Epiſtola ad Jacobum I. Magnæ Britanniæ Regem, *qui vir optimus*, inquit, *ſi poſtremos tomos vidiſſet, quid dicturus fuit? Novæ etiam illius & horrendæ ac principibus Papam agnoſcentibus funeſtæ doctrinæ, quæ ſacris illorum cervicibus dominum imponit abſolutæ poteſtatis Monarcham, quæ vitæ & necis ipſorum dat illi poteſtatem, quæ ſubditos fi-*

fidelitate ex jure Divino & humano debitum abſolvit; & quoties lubet Pontifici, adverſus unctos Dei armat, nullus temere animoſior patronus Baronio, ne inter juris quidem Canonici interpretes, venalitia Paparum mancipia poteſt reperiri. Non dubitavit quoque errores Baronii idem Vir Doctiſſimus *Pithæus* data occaſione reprehendere, ut videre licet in vita Flodoardi quam Abbatis illius operibus præfixit *Georgius Colvenerius* Cancellarius Duacenſis, & in qua ipſe non tantum Cardinalem aliquoties caſtigat, ſed & Pithœi verbis *Nolim*, inquit, *virum multæ lectionis ex interpretatione Gallica alienis à ſenſu verbis hoc idem diploma retuliſſe.*

2. Nemini dubium eſſe poteſt, quin *Petri de Marca*, *Henrici Valeſii*, & cordatiſſimorum quorumvis inter Gallos idem de Baronio fuerit judicium, quod Archiepiſcopus ille Pariſienſis doctiſſimus non obſcure

prodidit, in præſtantiſſimo ſuo *de concordia Sacerdotii & Imperii* opere. Neque Valeſius dubitavit *in notis ad Euſebium* reliquoſque hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Autores Græcos, eundem Baronium frequenter reprehendere, & violatæ veritatis reum actum acriter quandoque caſtigare, quod etiam ab Illuſtri præſule Abrincenſi *Petro Daniele Huetio* viro nobis faventiſſimo multisque nominibus honorando factum videre eſt in illius ad Origenem commentariis, ut *Eliam du Pinium* præteream in diſſertationibus de veteris Eccleſiæ diſciplina, & in alio opere, cujus jam aliquot tomos cum magno fructu legentium luci expoſuit, & *Bibliothecam Eccleſiaſticam* inſcripſit. His addas licet *Antonium Godellum*, qui hiſtoriam Eccleſiæ Gallicâ linguâ fuſe eſt nec ineleganter perſecutus, etſi judice *Johanne Claudio* opus ejus *ſectæ ſtudioſum* ſit, & *ſuperficiarium, multasque colligat ineptias*. Nam iſte Godellus ſive

ut

ut ab aliis videas nominari Godavius, ſive denique Godoveus (*Gallice Godeau*) in hiſtoria ſua, quæ Pariſiis primum in fol. deinde minoribus typis & forma pluribus voluminibus in Belgio eſt excuſum, non tantum paſſim à Baronio diſſentit, eumque caſtigat, ſed & in præfatione non dubitavit in hanc ſententiam de ejus Annalibus ſcribere: *Ab ipſis Catholicis arguitur Baronius ſuppoſititiis uſus ſcriptis loco genuinorum, & crebros committens errores, cum in temporum ratione, tum quod ad Romanas antiquitates attinet. Porro reprehenditur quod Epocham Dionyſianam confudit cum vero anno Chriſti, quod prolixioribus indulget digreſſionibus inprimis quod nimium ſibi indulget in agenda cauſa Pontificis, ejusque plus juſto tribuit autoritati, & quibuslibet eum tuetur argumentis, & documentis ſive dubiis, ſive controverſis, nimiumque iniquus eſt Poteſtati ſummæ principum.* His adde Anonymi cujusdam

Advocati Pariſienſis librum qui inſcribitur *la pernicieuſe conſequence de la nouvelle hereſie des Jeſuites contre le Roy & l'état* p. 29. ſeq.

3. *Guido* quoque *Patinus* in Epiſtolis ita non ſemel de Baronio loquitur, ut ejus fidem ſibi non mediocriter ſuſpectam eſſe teſtetur, narrans etiam alicubi à *Naudæo*, ſe de ingenti falſationum numero in Baronii Annalibus obvio accepiſſe, unde Naudæum quoque non diverſum ab aliis, quos jam nominavimus, Gallis de Baronio ſenſiſſe colligi poteſt. Præter quos *Stephanus* etiam *Baluzius* vir maximi nominis cum alibi Annalium fidei detraxit, tum in præfatione ad Capitularia Regum Francorum inſigni exemplo docuit, *Baronium aut falſum eſſe, aut fallere voluiſſe*. num. XXII. ſeqq. etſi ſugillatus viciſſim ab auctore *tractatus de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ* p 738. *Johannem* porro *Baptiſtam Cotelerium*, aliosque naſutiores Gallos,

qui

qui in ſcriptis ſuis ſingulos quoſdam Baronii errores ſtylo confoderunt, lubens prætereo. Ex quibus *Godfridus Hermantius*, Doctor Sorbonicus, qui vitas Athanaſii, Chryſoſtomi, Baſilii aliorumque præſtantiſſimorum Eccleſiæ Doctorum fuſe, eleganter & erudite ex antiquis monumentis deſcripſit, non diffitetur *qu'il s'éloigne aſſez ſouvent du ſentiment du Cardinal Baronius*. Similiter *Paſchaſius Queſnellus* congregationis Oratorii Presbyter, (quem cum Joſepho Queſnello Bibliothecæ quondam Thuanææ præfecto perperam confundit Cornelius à Beughem in conſpectu 1 Bibliographiæ curioſæ pag. 333.) quando Leonis Magni vitam deſcribit, non ſemel Baronium caſtigat. His ſubjicere juvat Cardinalis *Perronii* judicium ex libro Gallico, qui Perroniana inſcribitur. *Bonus ille vir Baronius quam plurimis in locis ſuorum Annalium deceptus immanes committit parachroniſmos, infinitis*

in locis fallitur, parumque accuratus eſt, ne in dictione quidem. Opus ejus nulla re quam immenſo labore commendabile. In Valeſianis noviſſime editis in lucem, hæc de Baronio leguntur à viro doctiſſimo *Hadriano Valeſio* perſcripta, ubi agit de duobus Dionyſiis. *Baronius Cardinalis laudatiſſimus, & laborioſiſſimus collector hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſed in quo eruditi tot jam nævorum, præcipue in Chronologicis numerum obſervarunt, ut ſi quis eos perſequi velit, facile compoſiturus ſit (procul eſt ab hyperbole, quod dico) volumen, quod minime ceſſurum eſſet magnitudine uni ex ejus voluminibus.*

4. Qui vero ex inſtituto & ſingulari opere Baronium caſtigandum ſibi propoſuerit, neſcio an quiſquam fuerit inter Gallos hactenus præter *Johannem Dartem*, cujus jam ſupra cap. 3. fecimus mentionem, & *Antonium Pagi*, de quo cap. 4. diximus. Niſi quod in Ciacconii vitis Cardina-

nalium legitur contra Baronii Annales calamum ſtrinxiſſe *Johannem Barclajum incertum Catholicum.* Cujus quidem ego Barclaii ſcriptum Baronio oppoſitum neque ipſe oculis uſurpavi, neque alium qui ejus meminiſſet deprehendi, ut valde verear, ne Baronii nomen pro Bellarmini apud Ciacconium poſitum ſit. *Joh. Barclajum* etenim vindicias pro *Gulielmo Parente* adverſus *Rob. Bellarminum* ſcripſiſſe notiſſimum eſt. Incertam autem ipſius religionem ita explicat *Johannes Imperialis* in Muſæo Hiſtorico p. 170. *Fuit enimvero hic morum facilitate præditus, & ingenio fucis aulicis, urbaniſque diſſimulationibus æquè apto: hinc Romani proceres hac ejus indolis imbuti opinione, graviter uſque adeo ſenſere de ipſo, ut Catholicam fidem haud ex animo ſuſpicarentur, illius nempe ſectatorem hæreſis, cujus inſtitutum eſt religioni ſe locorum prout occaſio ac res propria tulerit, devo-*

vere. Neque concepta hæc ipſius vel defuncti evanuit opera, quippe inſcriptionem ac ſtatuam, quam ejus gloriæ filius in Eccleſia S. Laurentii extra muros erexerat, cautiore Patres Conſilio ſublatam, ac deletam voluerunt.

4. Reliquum eſt, ut ex *Johannis Launoji* Conſtantienſis, Pariſienſis Theologi ſcriptis pauca quædam ſubjiciamus, unde quid de Annalibus Baronii, quid de autoris ipſius fide & doctrina ſenſerit vir ille φιλαληθέϛατος, lectori conſtare queat. Primum itaque pluribus in locis non tantum innuit, nullam à Baronio prætermiſſam occaſionem amplificandæ & ornandæ dignitatis Romani Pontificis ſed etiam palam profitetur illum, *quem nemo neſciat opportunitatum ſedis Romanæ aſſertorem cupidiſſimum* UBICUNQUE ET QUOMODOCUNQUE *corrogare, quæ illius amplitudini, commodis, honori inſerviunt.* Vide *Launoji Epiſtolas* p. 7. p. 13. & 455. edit. Lond. Itaque ſæpe *noluiſſe adhibere diligentiam*

tiam quam vel ſibi vel Annalium ſuorum ſcopo incommodaturam eſſe prævideret, uti exemplo quodam confirmat p. 39. *Neque profectò ignoraſſe pleraque Baronium, quæ jam à ſe animadvertantur, ſed tergiverſatum fuiſſe, & recentibus Curiæ placitis ſerviiſſe.* vid. p. 279. Longe plura in hanc ſententiam paſſim de Baronio in iisdem epiſtolis leguntur, quæ ut hic ſingula exſcriberem, cum pluribus verbis idem dicant, parum mihi videbatur eſſe neceſſarium. Neque ſane mirum, hæc in Baronio notaſſe Launojum aliosque cordatos viros, cum ipſe Annalium conditor in præfatione ad lectorem fateatur, ſibi propoſitum eſſe, *per ſingula tempora demonſtrare Catholicæ Eccleſiæ viſibilem Monarchiæ à Chriſto Domino inſtitutam, ſuper Petrum fundatam, ac per ejus legitimos veroſque ſucceſſores, Romanos nimirum Pontifices inviolatè conſervatam, religioſeque cuſtoditam, neque unquam interruptam*

vel intermiſſam, ſed perpetuo continuatam, ſemperque hujus myſtici corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, unum caput viſibile, cui pareant membra cætera, eſſe cognitum, & obſervatum.

CAPUT VII.

1. *Pontificii ſcriptores Itali, &* 4. *Germani, fidei Baronianæ parum tribuentes.* 5. *Gaſp. Scioppii epiſtola ad Fulgentium Baronio infeſta.*

1. CUm nullibi periculoſius ſit, Baronium laceſſere quam in iis locis, ubi Romani Pontificis autoritas propter præſentiam ſuam plurimum valet, & ubi ſancta, ſi Diis placet, congregatio longe eſt circumſpectior, quam ut aliquid vel Curiæ Romanæ vel ejus paraſitis ignominioſum in publicam lucem prodire patiatur, non eſt profecto mirandum, quod

quod inter Italos rari admodum occurrant, qui ſententiam ſuam de Annalium conditore publice dicere ſint profeſſi, quique ad eum mendaciorum & malæ fidei arguendum ſat animi virtutisque habuerint. Reperti tamen ſunt vel in media Italia, & quod magis mireris in media urbe Roma, & inter ipſa ut ſic dicam Bibliothecæ Vaticanæ penetralia viri doctiſſimi, qui tametſi tantum vel coram ad alios, vel per literas, vel ſcriptis ineditis, ſatis tamen perſpicue oſtenderunt, quam non alieni eſſent à judicio quod de Cardinalis adulatione adverſus Pontificem, malaque fide per univerſum illius opus elucente, erroribusque ejus plurimis tot viri eruditi alii unanimi ſuffragio tulerint. Conſtat enim, *Alexandrum Taſſonum* Italum doctiſſimum Mutinenſem editioni paratum habuiſſe opus Hetruſca lingua, quod *Della Hiſtoria Eccleſiaſtica, & ſeculare* inſcripſerat, in quo Baronii Annales examinavit,

vit, majori quidem cum libertate, quam multi factum vellent, ut ait *Joh. Baptiſta Laurus de Romanis ſcriptoribus*, & *Leo Allatius* in *apibus urbanis:* majore tamen forte etiam cum ſtudio veritatis, quam vulgo fit à Pontificiis Curiæ Romanæ adulatoribus. Quorum opera effectum eſſe licet ſuſpicari, ut illud *Taſſoni* opus non in lucem emiſſum, ſed æternis tenebris ſepultum fuerit. Illius vero operis Taſſoniani *Erythræus* quoque in prima pinacotheca mentionem facit his verbis: *Senex jam Taſſonus disjunxit ſe à manſuetioribus Muſis, atque ad graviora ſtudia retulit: Nam à Chriſti ortu ad annum* MD. *Eccleſiaſticam complexus eſt hiſtoriam, in qua pluribus in rebus à Baronio diſſentit, veritatis, non contentionis, ut ipſe ajebat, ſtudio adductus.*

Porro *Laurentius Craſſus* in elogiis hominum doctorum Italicè editis T. 2. p. 83. memorat etiam *Paulum*

lum Benium Profeſſorem Patavinum diſputationes in Baronii Annales conſcripſiſſe, quæ ſimiliter nunquam ſunt editæ.

2. *Paulus Sarpius Venetus*, ſcripta Concilii Tridentini Hiſtoria, aliiſque libris pro Sereniſſ. Rep. Veneta editis magnam viri cordati, prudentis & doctiſſimi famam conſecutus, hoc de Baronio judicium tuliſſe fertur in epiſtola quadam ad *Iſ. Caſaubonum*, quam B. Kortholtus quondam MSS. aſſervavit, & ipſo non invito ante paucos annos *decadi Obſervationum Miſcellanearum* inſeruit, *Clariſſimus hodie*, *nobisque amiciſſimus Græcarum literarum apud Roſtochienſes Profeſſor Joh. Gotlieb Mollerus: quod in Baronium ſcribere paras, gaudeo & pergere hortor, licet illum antagoniſtam dignum te non putem. Sæpe ipſe mecum animo volutavi, quid cauſæ eſſet, cur in magna exiſtimatione apud pleroſque ſit abſque ullo ſuo merito, ne dicam abſque ulla culpa,*

cum

cum quid in tam magno opere laudandum foret, videre nequirem. Nulla pars eſt, quæ confutari non poſſit ſolo adminiculo eorum, quæ ab eo proferuntur. Nullus eſt parvi vel magni nominis hiſtoricus, quem non ſæpe commendet, ſæpius confutet. Mitto adulterina & detorta teſtimonia, prolixitatem maxime faſtidioſam, & judicia perverſa, ac inſulſa, quæ nemo in hiſtoria ferre poteſt. Pædagogiam in lectores petulanter exercet, quos ſingulis paſſibus intempeſtive ſiſtere jubet. Divinæ Providentiæ conſilia in bonis diſtribuendis & malis infligendis ad ſolius Papatus rationes adſtringit. Reliquum, video fortunam bonum illi favorem conciliaſſe, quæ adhuc illum ſequetur, cum tu illius ſcripta impugnare inſtituis, nam magni Æneæ dextrâ cadet. Cedet tamen in publicam utilitatem opus tuum procul dubio. Verum quod illum fraudis & doli mali convincere paras, vereor an probaturus ſis iis, qui morum ho-

hominis gnari fuerint. Velim potius levitatis & temeritatis accuſares. Ego illum Romæ novi antequam honoribus manum daret, & prurigine ſcribendi tentaretur, cum ſoli animi tranquillitati & puritati conſcientiæ daret operam. Nunquam hominem vidi ſimpliciorem, quem univòco verbo tibi exprimam, nullas habebat opiniones proprias, ſed eas è converſationibus ſine delectu ſumebat, quas tamen quaſi proprias & bene perfectas pertinaciter defendebat, donec alias juſſus potius fuiſſet, quam edoctus. Si multi prudentes & cordati fatali poculo ebibito ſpiritu vertiginis circumacti ſunt, minime mirum, ſi miſer unicus purpureis laqueis commune malum effugere non potuit. A dolo malo affuiſſe crediderim, à levitate & temeritate minime. Hæc de Baronio *Sarpius*, quibus probare videtur, Baronium prius ſe ipſum fefelliſſe, antequam lectores ſuos fallere laboravit, quod ita quidem ipſi concedimus.

mus, ut putemus, non minus vituperatione dignum eſſe, ſi quis in animo ſuo alicujus commodi cauſa ſuffocet ſcintillas coruſcantis veritatis, quam ſi contra animi ſententiam alios non dubitet decipere.

3. Cum Sereniſſ. Venetorum Reipubl. gravis controverſia intercederet cum Paulo V. Pontifice Max. & *Baronius* paræneſin edidiſſet, qua Venetos adhortatus eſt, ut Papæ, quemadmodum jus faſque eſſet, concederent autoritati; non tantum ex Reformatis Gallis *Nicolaus Vignierius* aliique Venetorum cauſam adverſus Baronium egerunt, ſed & inter Italos Pontificios non defuerunt, qui Baronium Pontifici adulantem ſatis acerbè exciperent, ex quibus, ut alios à *Cl. Sagittario* p. 471. ſeqq. introduct. nominatos prætercam, *Joh. Marſilius* in libro qui inſcribitur *defenſa della racolta de i ſcripti del Papa Paulo V. contra la Signoria Veneta* p. 262. ſpem facit edendi ſcripti de

de Baronii erroribus in quo plures quam 20. hallucinationes à Cardinale in vita Johannis (XII. vel XIII.) admiſſæ demonſtrantur. *Nicolaus* præterea *Craſſus* civis Venetus Antiparænefin Cardinali oppoſuit, & contra *Aſcanium Perſium* Philoſophum Bononienſem defendit. Antiparæneſis Craſſi non tantum Venetiis edita eſt, ſed & à Goldaſto inſerta T. 3. Monarchiæ S. Imp. Rom.

4. *Lucas Holſtenius* genere quidem patriaque Hamburgenſis Germanus, & avita Religione Lutheranus, domicilio, officio, & fidei profeſſione poſtea Romanus fuit, ab Urbano VIII. Canonicatu Baſilicæ Johannis Lateranenſis ornatus, & ab Innocentio X. præfectus Bibliothecæ Vaticanæ, aliis itaque Italis Pontificiis ſuſpectæ Baronii fidei domeſticis teſtibus ille hoc in loco à nobis non immerito adjicitur. Nam non modo paſſim graves Cardinalis lapſus *in notis ad Martyrologium Romanum*

commiſſos (quales non paucos ipſe agnoſcit Cardinalis, & in Annalibus emendat) caſtigavit, uti ex *animadverſis Holſtenianis* ad dictum Martyrologium Romæ à *Petro Poſſino*, biennio poſt Holſtenii mortem A. 1663. 8°. vulgatis intelligi poteſt. Verum etiam *ad Gabrielem Naudæum* palam profeſſus eſt, *ſe ex ſolis MSS. Bibliothecæ Vaticanæ oſtendere poſſe ad octies mille mendacia, quæ in Baronii Annalibus continerentur*, uti narrat *Guido* (ſive Vitus, nam Guy Latine Vitum ſonat, uti notatum in Valeſianis p. 128.) *Patinus* in Epiſtolis ſelectis Gallicè editis p. 275. Neque dubitat *Clariſſ. Wilh. Erneſtus Tentzelius* in rei literariæ commodum natus, dialogis Germanicè vulgatis menſtruis Anni M DC LXXXXI. p. 181. Holſtenium virum cordatum ſpectatæque fidei numerum accurate miſiſſe, cum ex ſola Græcæ linguæ ignoratione plura quam duo millia erratorum in Baronio obſervari poſ-

poſſint, quibus ſi Chronologici, Hiſtorici, Critici, & Theologici errores addantur, facile numerus excreturus eſſet ad octies milleſimum, etſi *Maimburgio* in Hiſtoria Pontificatus Gregorii M. aliiſque minus veriſimile videatur in illo Annalium parente, & Eccleſiæ ſuæ fulgidiſſimo ſole tantam vim macularum, & tot falſo & perperam dicta reperiri. *Octavius* quoque *Ferrarius* in doctiſſimo elegantiſſimoque de re veſtiaria opere ſæpius in Baronium inſurgit, erroreſque ejus reprehendit.

5. Agmen teſtium domeſticorum malæ fidei Baronianæ denique claudat *Gaſpar Scioppius* itidem Germanus & Reformatæ primum Religioni addictus, verum poſtea paraſitus Pontificis & cum cœlo animum fidemque mutans *civis Romanus & S. Petri Eques*, qui non obſtantibus encomiis, quæ in Baronium plena manu prius congeſſerat, cum profeſſus eſt, ejus lectione Annalium permotum ſe

eſſe ad ampleƈtendam fidem Eccleſiæ Romanæ, poſtea tamen non dubitavit de eodem Annalium opere deque Baronio ea ſcribere, quæ ejus fidei mirificè detrahunt, ut leƈtori perſpicuum erit, ex *leƈtione Epiſtolæ*, quam *Paulus Colomeſius* primus Hetruſco ſermone obſervationibus ſuis ſacris intexuit, nos vero in Latinum idioma converſam hic integram apponere pretium operæ exiſtimavimus.

Summe Rev. in Chriſto Patri

FULGENTIO.

Sereniſſ. Reip. Venetæ Theologo.

Pater ſumme Rev. Domine obſervande.

NOn dubito, illa quæ in Illuſtris Vincentii Grimani exemplari continentur, eadem reperiri etiam in uno ſaltim ex quatuor illis Dandoli codicibus, quos Contelorius in Vaticana extare affirmavit. Nam Cardina-

lis

lis Sanctæ Suſannæ mihi teſtatus eſt in libro ſuo, quem in Vaticana reliquit ſcriptum, ſe meminiſſe, quod Fridericus Barbaroſſa Imperator, poſtquam Papæ iterum conciliatus fuiſſet opera Venetorum, immunes eos reddidit à datione quaranteſimi, & pluribus piis locis onerum exemtionem tribuit. Quæ verba ejus judicio non reperit in codice ſuo autor Squintini (de hoc libro, & ejus autore vide ſis Gaſſendum in vita Peireskii ad A. 1612.) *quia illud non omiſſurus erat, quo probaret, Venetias ſubjectas fuiſſe ditioni Imperatoris quia ab eo immunitatibus exemptionibusque potuere munerari. Quamvis ego non magni facio hoc argumenti genus, poſtquam ex te didici, privilegia iſta nonniſi ad eas terras pertinere, quæ in dicione Imperii ſitæ erant, mecum tamen perpendens hanc narrationem conjunctam eſſe cum altera illa de victoria Navali, & conciliatione Friderici cum Alexandro Pon-*

tifice, non poſſum induci ut credam, exemplar illud ab altero Vincentiano differre. Nihilominus operæ eſſe pretium arbitror, dare operam, ut hac de re ex oculati teſtis affirmatione conſtet. Nam Contelorius viciſſim ita liberius poterit argui malitiæ, quod omnibus perſuadere voluerit, narrationem de Obbone recens eſſe commentum, poſt Sabellici tempora effictum, cum vel ex Dandolo ſuo minime potuerit ignorare, fidem ei habitam fuiſſe Romæ jam ante annos trecentos. Vehementer ſcire deſidero, ubi Baronius, (locus eſt ad A.C. 604. n. 50. T. VIII. Annal. ubi agens de quodam codice Bibl. Vaticanæ, *quaſi non omnis*, inquit, *Bibliotheca referat ſimilitudinem ſagenæ miſſæ in mare, ex omni genere piſcium congregantis bonos & malos, contineat libros probatos, & improbatos, utiles & inanes ſimul amplexans, illos ut ſequatur, iſtos vero rejiciat) Vaticanam Bibl. dicat verriculum complectens omne*

omne genus piſcium bonorum, malorumque. Non me fugit, eum partim ex ignorantia, partim ex negligentia multa falſiſſima ſcripto mandaſſe, ita ut Benedictus quidam Monachus mihi affirmarit, ſe ex ejus Annalibus collegiſſe duo millia errorum: nec parum puto referre, ut fidei illius hominis detrahatur, utpote inimici Majeſtatis principum quorumcunque, quos etiam in ſecularibus Papæ ſubjicere eſt conatus. Neque erubuit, hæreſin impingere Cardinali Sanctiſſimo Petro Damiano, quod dixit, Papam adverſus perſecutores non mundialibus, ſed ſpiritualibus armis ſe defendere debere, & illos Pontifices, qui pro tuenda Eccleſia bellum ſuſceperint, Chriſtum non minus quam Petrus olim, abnegaſſe, & Davidis inſtar homicidium pariter adulteriumque commiſiſſe. Huic, *inquit Baronius ad A.* 1103. *num.* 14. Catholica dogmata penitus adverſantur, quibus hæreſis errore notantur omnes, qui Ro-

manæ Eccleſiæ non niſi ſpiritalem gladium concedunt. *Et tamen legerat Baronius illa Nicolai Papæ cap.* inter hæc 33. qu. 2. Sancta Dei Eccleſia mundanis nunquam conſtringitur, gladium non habet, niſi ſpiritalem. *Et hæc Johannis octavi cap.* porro 16. *qu.* 3. Eccleſiæ corporalia neſcientes arma ſolum Dominum & propugnatorem ſuum, quando ei miſereri placuerit, patienter expectant. *Unde apparet, Baronium contra conſcientiam ſuam adulteraſſe doctrinam Chriſtianam cum ſummo præjudicio principum, exhortando Pontificem ad uſum gladii ſecularis juxta illud quod Petro dictum fuit*, Occide, & manduca, *quam ego doctrinam longe majorem & peſtilentiorem eſſe hæreſin exiſtimo, quam aliam quamcunque ſive à Luthero, & Calvino, ſive à quovis alio hæreſiarcha in medium prolatam. Atque ad hoc ſufficit mihi, quod manibus palpari queat, hanc hæreſin cauſam fuiſſe atque originem*

in-

innumerabilium malorum, quæ paſſus eſt orbis Chriſtianus ab annis retro octingentis. Ita ut Bernardus jure crediderit, Eccleſiæ res neque ſub Imperatoribus Ethnicis, neque ſub hæreticis (uti Arianis, Monothelitis, & Iconoclaſtis) ita perverſas afflictaſque fuiſſe, quam ſub Pontificibus contendentibus, ſibi cum Apoſtolatu commiſſum etiam eſſe ſeculare imperium. Verba ejus hæc ſunt. Petrus quod non habuit tibi Papa dare non potuit. Quod habuit hoc dedit, ſollicitudinem ſuper Eccleſias. Nunquid dominationem? Audi ipſum. *Non dominantes*, ait, *in Clero, ſed forma facti gregis.* Et ne dictum putes ſola humilitate, non etiam veritate, vox Domini eſt in Euangelio, *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non ſic.* Planum eſt, Apoſtolis interdicitur dominatus. I, ergo, & tibi uſurpare aude aut dominus Apoſtolatum, aut Apoſtolus Dominatum, plane ab altero prohiberis, ſi utrumque ſimul habere voles, per-

des utrumque. Alioqui non te exceptum illorum putes numero, de quibus Deus ſic queritur. Ipſi regnaverunt, & non ex me, Principes extiterunt, & ego non cognovi eos. *Itaque juxta doctrinam Sancti hujus Doctoris typis impreſſam Romæ cum privilegio Pontificis Clementis VIII. Papa non accepit à Deo utriuſque gladii poteſtatem, etſi ita voluerit Majeſtas principis ſecularis, ipſo Apoſtolatu excidit, neque à Deo agnoſcitur.* Idem Bernhardus alibi: *Fidem* habetis, ſed ad opera vos invito, vos maxime, qui eſtis paſtores animarum, & præire debetis docendo & operando. Multi ſunt Catholici prædicando, qui ſunt hæretici operando. Quod hæretici faciebant olim per prava dogmata, hoc faciunt plures hodie per mala exempla, ſeducunt ſcilicet populum, & in errorem inducunt *(ut credant, rebellionem erga principes, avaritiam, ambitionem &c. non eſſe peccata)* & tanto graviores

ſunt

ſunt hæreticis, quanto prævalent opera verbis. Heu, heu, Domine Deus, ipſi ſunt in perſecutione tua primi, qui ſunt Vicarii tui, qui videntur regere populum tuum: Miſera eorum converſatio, miſerabilis eſt plebis tuæ ſubverſio. *Et in Sermone ad Clerum:* Miniſtri Chriſti ſunt, & ſerviunt Anti-Chriſto (ſeu Satanæ) honorati incedunt de bonis Domini, cui honorem non deferunt. Olim prædictum eſt, & nunc tempus impletionis adeſt, *Ecce in pace amaritudo mea amariſſima.* Amara prius in nece martyrum, amarior poſtea in conflictu hæreticorum, amariſſima nunc in moribus domeſticorum. Non fugari, non exterminari poſſunt, ita invaluerunt, ita multiplicati ſunt ſuper numerum: inteſtina, & inſanabilis eſt plaga Eccleſiæ, & ideo in pace amaritudo ejus amariſſima. *Et Sermone VI. in Pſalmum* 90. Nunc quidem eſt pax à Paganis, pax ab hæreticis, ſed non eſt pax à fal-

falſis filiis. *Memini, me pro tuendo Pontificis Apoſtolatu tantum librorum ſcripſiſſe, quantum forte vix alius quisquam, atque inde Proteſtantium internecinam perſecutionem paſſus fui. Sed avertat Deus, ne unquam vel verbum emittam pro defenſione Dominii ejus ſæcularis, qua ratione Luthero, Calvinoque hæreticis longe evaderem deterior, ut ſæpe numero ad te dicere conſuevi. Et ſpero, me bonum Catholicum Romanum moriturum, ringente quamvis Curia Romana cum omnibus ſuis adulatoribus.* Vale. Patavii 5. Id. Jun. 1636.

tuus

GASPAR SCIOPPIUS.

JO.

JO. FRIDERICI MAYERI D.

CONSILIARII REGII & PROF. THEOL.

ECLOGA

De

FIDE BELLARMINI

IPSIS PONTIFICIIS AMBIGUA.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A D O L G K

[illegible]

[illegible]

Jeſu Fortunante!

Theſ. I.

R*Oberti Bellarmini* memoriam ut diligenter ſanctèque Romani Pontificis clientes conſervarent, illiusque fidem pariter atque auctoritatem conſtanter tuerentur, improbi ipſius labores, Romanæ Curiæ bono, cum multis aliis libris, tum *magno Controverſiarum opere*, dedicati atque exhauſti, ſuadere imo ex gratitudinis lege imperare videbantur.

II. Dixiſſes quidem, poſtquam prodierant, in hanc conſpiraſſe ſententiam Doctores, ita enim in ornando elogiis ſcripto cumprimis *Controverſiarum* invicem Cœtus Romanenſis Antiſtites plurimi certabant, alterque alterum provocabat, ut ad invidioſa prorſus dilapſi encomia in aliorum ſui ordinis Doctorum labores

res crederentur eſſe injurii. Accipe *Cornelii à Lapide de Bellarminiano illo ſcripto* judicium in Encom. S. Script. Pentateuch. Præfat. n. 38. f. m. 10. *Fecit hoc ſolidè & exactè Illuſtriſſimus Bellarminus, fidei hyperaſpiſtes & hæreſium ſtrator, in ſuis Controverſiis, quod opus proinde impenetrabile eſt & incomparabile, nec à Chriſti temporibus huc uſque ſimile in hoc genere vidit Eccleſia, ut merito Veritatis Catholicæ murus & antemurale vocari poſſit.*

Atque illud Baronii, Tom. I. Annalium, f. 468. *Opus illud eſſe Propugnaculum & Turrim David, ex qua mille clypei pendeant, & omnis armatura fortium, ut Hieruſalem noſtra adverſus oppugnationes hoſtium defenſa ſit.*

Quid? In Symbolicorum Scriptorum cenſum fermè veniſſe, *P. Cotonus* Jeſuita apud *Fuligattum* Lib. II. Vitæ Roberti Bellarmini, c. VI. p. m. 113. teſtatur: *Quando ſcripta Illu-*

luſtriſſimæ Dominationis veſtræ defendimus, cauſam DEI & Eccleſiæ tuemur: ut jam in Gallia & Anglia idem ſit Bellarminiſta quod Papiſta: quemadmodum antiquitus pro eodem ponebatur Athanaſii Confeſſio & Fidei Catholicæ Profeſſio.

III. Ex hoc opere partium ſtudio laboranti vel *Fuligatto*, vel *Sylveſtro Petræ Sanctæ* anagramma illud fluxit:

ROBERTUS CARDINALIS
BELLARMINUS
E
SOCIETATE JESU.

Anagramma:

LUTERI ERRORES
AC ASTUTIAS CALVINI
OMNES DELEBIS.

At impuriſſimi Anagrammatis nævos facilè deprehendit mens ingenua & emendatorum JEſu Chriſti Sacrorum perſpicax, intelligit & Artis Anagrammatiſticæ tyro; deficere enim unum

B. primo intuitu patet, quo nomini Lutheri adſcripto cum æternæ continentur felicitates quibus jam perfruitur Lutherus noſter, mirum non eſt, ægros Jeſuitæ oculos illud B. ferre non potuiſſe. Obſervavit id ante nos deſideratiſſimus Scherzerus noſter, in Epiſt. dedicat. AntiBellarmini, propterea ita inflexit:

B. Luteri rores ac astutias Calvini re delebis omnes,

ſcil. quantum in te erit.

Nos autem Jeſuitæ aliquando hac mutatione reddidimus:

Luciane, astutiis rores B. Luteri delebis?
Manes orca.

Non negandum tamen videtur à Vignierio in Theatro de Anti-Chriſto non minus vere quam ingenioſe Baronium & Bellarminum vocari duos propugnatores Babelis, quorum etiam nomina ſi primæ ex utroque ſyllabæ conjungantur nomen Babel reddunt.

IV.

IV. Illi quoque ingenii Bellarminiani fœtus, auſpiciis Clementis VIII. Romani Pontificis, Purpura Robertum induerunt, Galerumque impetrarunt Cardinalitium. Hanc promotionis rationem primariam ipſe in Sacro Conſiſtorio adduxit Pontifex. *Hunc*, inquiebat, *eligimus, quia non habet parem Eccleſia DEI quoad doctrinam, & quia eſt nepos optimi & Sanctiſſimi Pontificis.* Uberius autem deduxit *Jac. Fuligattus*, Jeſuita Italus, qui Bellarmini vitam ſcripſit, Lib. III. c. 1. p. m. 200. *Etenim Clemens Pontifex hac electione cum illud efficere voluit, ut rependeret privata beneficia, quæ à Marcello II. Bellarmini avunculo, ſuſceperat Silveſter Aldobrandinus, Parens ejus, dum Florentiâ ſolum vertere coactus, ſtatim initio Pontificatus, Urbis Romæ præfectus ab eo creatus fuerat; tum verò munerari egregios Bellarmini labores obitos pro relligionis ac fidei defenſione, occludereque ora Hæretico-*

rum allatrantium rebus geſtis Romanorum Pontificum. Nam in expeditione ad Polonos audiverat, illos inter plura Cardinalium delectum vituperare, quaſi absque examine meritorum fieret, neglectis optimis, dum Cæſar Baronius ac Robertus Bellarminus, tanta nomina, ſubtraherentur in honore purpuræ oculis civitatis. Horum enim apud ipſos manebat admiratio, tametſi eosdem odiſſent, ut victi. Quare ad ampliſſimam dignitatem Bellarminus jam tum ore inimicorum etiam poſcebatur: indeque fiebat, ut dum boni æquitate atque amore virtutis, mali obtrectatione & malignitate, Pontificem exſtimularent, ipſe ſimul virtutibus ſuis, ſimul vitiis aliorum, ad gloriam raperetur. Plura laudum Bellarmini teſtimonia non congeram; adeat, qui voluerit, *Tarquinii Gallutii* Orationem de Bellarmino, qua decimo ab obitu die Robertum in concione laudavit: *Sebaſtiani Badii* Decora Roberti Cardi-

dinalis Bellarmini: *Euſebii Sarrini, Florentini*, Ord. Ciſtercienſis Abbatis elogia, quorum partem exhibet *Andreas Ferdinandus Ughellus Florentinus* Abbas, Italiæ Sacræ Tomo VI. f. m. 450. *Jacobi Fuligatti* vitam Roberti Bellarmini, Italicè primum ſcriptam editamque Romæ A. 1624. 4°. tum Latinè verſam à *Silveſtro Petra Sancta* Leodii 1626. 4°. & Antwerpiæ 1631. 8°. Gallicè vero tranſlatam à *Petro Morino* Jeſuita Pariſ. 1628. 8°. *Phil. Alegambe* Bibliothec. Scriptor. Soc. Jeſu, p. m. 722. ſeqq. *Danielem Bartoli* de vita Bellarmini Rom. 1618. 4°. *Marcellinum Cervinum* de vita & moribus Bellarmini, Senis 1622. 8°. *Didacum Ramirez* in vita Bellarmini ex variis authoribus concinnata & *Nicolao Antonio* in Bibliotheca Hiſpana memorata. Narrationem de pio obitu Bellarmini excerptam ex literis *Eudæmono Johannis*, & vulgatam Dilingæ A. 1621. qui illi Cardinali fa-

talis fuit, *Joh. Imperialem* in Muſeo Hiſtorico p. 162. ſeqq. *Andream du Sauſſay* in continuatione libri Bellarminiani de ſcriptoribus Eccleſiaſticis p. 65. Janum Nicium Erythræum in Pinacothec. I. p. 84.

V. Enimverò libris accuratius penſitatis, cum omnia ſibi indulſiſſe hominem, neque parum in ſcribendo ſervaſſe animum, deprehendiſſent alii, *fidem* illius, ſive notionem hanc Theologico ſive Civili ſenſu accipias, ex Pontificiorum ordine nec pauci nec infimi, elevare quin imo deſtruere cœperunt.

VI. Fidei dogmata Bellarminum quandoque propoſuiſſe non ut ſacrorum oraculorum juberet autoritas, aut Patrum Eccleſiæ (quibus in ſpeciem multa deferunt Pontificii: conf. *Jac. Laurentii* Reverentiam Patrum Eccl. Rom. Subdolam) ſuaderet conſenſus, ſed ad Pontificis libidinem ſola Bellarmino obſequii gloria relicta, aſſerit *Jo. Launojus*, Doctor Sor-

Sorbonicus, ex ipſius Bellarmini Confeſſione, P. I. Epiſtol. ep. XI. ad Ludovicum Maræſium, Theologum Pariſienſem, p. m. 79. *Bellarminus ſecutus non eſt tractandi methodum, quam Silveſter II. in epiſtola ad Seguinum Senonenſem Archi-Epiſcopum præſcribit: Sit Lex Communis Eccleſiæ Catholicæ Euangelium, Apoſtoli, Prophetæ, Canones Spiritu DEI conſtituti & totius mundi reverentiæ conſecrati, & Decreta ſedis Apoſtolicæ ab his non diſcordantia. Præterea verſabatur in Curia, ubi aliter, quam docuerat, docere non permittitur, ut Jacobo Sirmondo illius familiari placita nova hæc privatim improbanti aliquando dixit: quod ab eodem Sirmondo, antiqui moris viro, cui plura debere me fateor, accepi.*

Et P. III. Epiſtolar. *ad Chriſtophorum Fauvæum*, Theologum Pictavienſem, Epiſtol. VII. p. m. 259. „Sed ad Bellarmini perverſam diſpu-

„ tandi methodum propius accedo „ & ſimplicius. Et primum quidem „ auctor ille novam in materia gravi „ opinionem, quæ vix ætatem ferre „ poteſt, omni ſtudio defendendam „ ſuſcipit, cùm univerſim Lutheri & „ Calvini opiniones novas refellere „ aggreditur. Et ſic, quod una manu „ ædificat, altera deſtruit, aut omni- „ no docere debet, opinionem illam „ novam jure ædificandam eſſe, quam „ ædificat, & Lutheri ac Calvini opi- „ niones novas jure deſtruendas eſſe, „ quas deſtruit. Quibus quæſo veræ „ Theologiæ principiis id fiet un- „ quam?

„ Deinde opinionem in materia „ gravi novam tradit aſſerendam eſſe „ ut certiſſimam, cum univerſim Lu- „ theri & Calvini opiniones novas re- „ jicit ut incertiſſimas, & hoc ipſo, „ quod novæ ſint, iis dicam erroris „ ſcribit. Qui ſic diſputat, quo pa- „ cto liber ab omni partium ſtudio & „ immunis oſtendetur? Et ſi eadem

non

„ non ſit parium ratio, negandum
„ erit, quod Leges, quod Commu-
„ nis hominum docet Senſus & Intel-
„ ligentia.

„ Tum ſententiam opinioni novæ
„ contrariam, veteri Romanæ Eccle-
„ ſiæ traditione ſuccinctam, Conci-
„ liorum autoritate munitam, & in-
„ numerabilium magiſtrorum conſen-
„ ſione firmatam, *ut omnino erro-*
„ *neam & hæreſi proximam*, vocat
„ & procul abjicit, cum univerſim
„ Lutheri & Calvini opinionibus no-
„ vis antiquam Eccleſiæ traditionem,
„ Conciliorum decreta & Patrum te-
„ ſtimonia opponit, & continuò hæ-
„ reſeos vel erroris notam inurit.
„ Siccine patrocinium æquitatis ſuſci-
„ pitur, cum defenditur, quod ac-
„ cuſatur?

„ Denique iis, qui ſeorſum à no-
„ bis per religionem ſentiunt, vix
„ perſuaderi poterit, ut ejuratâ hæ-
„ reſi vel ſuperſtitione ſuâ eam Tri-
„ dentinæ fidei profeſſionem edant,

„cujus articulum unum Bellarminus „& ejus Sectatores diſputando fun„ditus evertunt; aut ſanè nos do„ceant, quomodo permiſſa diſpu„tandi libertate tali edenda perſua„deri facilè poterit Tridentinæ fidei „profeſſio, cum Bellarminus in pro„bando, quod ſibi ſumſit, lemmate „hoc, *Summus Pontifex cum docet „Eccleſiam, in his quæ ad fidem per„tinent, & in morum præceptis, „quæ toti Eccleſiæ præſcribit, nullo „caſu errare poteſt*, formam jura„menti profeſſionis fidei negligat. „Nam Scripturæ loca tria, Lucæ „XXII. *Oravi pro te &c.* Matthæi „XVI. *Super hanc petram &c.* Joan„nis XXI. *Paſce oves meas, &c.* „quæ in lemmatis ſui probationem „inſumit, juxta unanimem conſen„ſum Patrum nec accipit, nec in„terpretatur, contra quam in fidei „Confeſſione decernitur: *item, Sa„cram Scripturam juxta eum ſen„ſum, quem tenuit & tenet ſancta*

ma-

„ *mater Eccleſia, cujus eſt judicare*
„ *de vero ſenſu, & interpretatione*
„ *ſacrarum Scripturam, admitto,*
„ *nec eam unquam, niſi juxta unani-*
„ *mem Conſenſum Patrum accipiam*
„ *& interpretabor.* At unanimi Pa-
„ trum in locorum trium illorum in-
„ terpretatione Conſenſus eò non ſpe-
„ ctat, ut probetur, Romanum Pon-
„ tificem ſolum atque extra Syno-
„ dum res fidei certò & ſine ullo er-
„ roris metu definire poſſe, vel,
„ quod eodem recidit, uni Romano
„ Pontifici non errandi in fide & mo-
„ ribus privilegium à Chriſto con-
„ ceſſum eſſe: Imò veterum Patrum
„ nullus eſt, qui Summum Pontifi-
„ cem, cum docet totam Eccleſiam
„ in his, quæ ad fidem pertinent,
„ vel in morum præceptis, quæ toti
„ Eccleſiæ præſcribit (ſi quando id
„ ea ratione fecerit) nullo caſu errare
„ poſſe, verè affirmatèque dixerit,
„ & ad propoſitionis iſtiusmodi con-
„ firmationem loca illa Scripturæ ad-
hi-

„hibuerit: Veterum Patrum nullus, „inquam, tantum abeſt, ut univerſi „Patres in eandem propoſitionem „conſentiant & conſpirent. Quod „igitur à Bellarmino legitimè pro- „bandum fuit, legitimè probatum „non eſt. Neglexit ille per ſummum „nefas probandi modum, quem fidei „profeſſio præſtituit.

„Deinde tanti ponderis aſſertio ſi- „ne veteri Romanæ Eccleſiæ tradi- „tione ſtatuenda non fuit: Bellarmi- „nus illam ſine exemplis ullis ſtatuit.

„Neque enim ita ponit: In pri- „mo æræ Chriſtianæ ſæculo fuit Ro- „manus Pontifex N. in tertio, in „quarto, in quinto, in ſexto, in „ſeptimo, in octavo, in nono, in „decimo, in undecimo, in duode- „cimo fuit Romanus Pontifex N. „qui, cum totam Eccleſiam doce- „ret, ei dogmata fidei credenda, „vel præcepta morum ſequenda pro- „poſuerit. Dicam amplius: In ho- „dierna fidei profeſſione dogma fidei nul-

„ nullum, præceptum morum nullum eſt, de quo verum ſit dicere: „Hoc fidei dogma, hoc morum „præceptum Summus Pontifex N. „cum doceret totam Eccleſiam, ei „toti vel credendum, vel ſequendum præſcripſit, ut ab eo præſcribi poſſe Bellarminus intelligit & intendit. Hinc efficitur, ut Bellarmini propoſitio ſit titulus ſine re, vana cogitatio, & inanis ſpecies adulationis.

„Præterea Codex Canonum univerſæ Eccleſiæ, Codex Canonum „Romanæ Eccleſiæ, & Codex Canonum Africanæ Eccleſiæ, Codex „Juris Græco Romani præcepta morum & diſciplinæ nulla objiciunt, „quæ Romanus Pontifex aliquis univerſæ Eccleſiæ præſcripſerit, & „quæ univerſa Eccleſia in autoritatem admiſerit. Hæc eſt facti quæſtio, quæ oculis, non formalibus „argutiis, deciditur, & Bellarminum atque illius Exſcriptores idoneis

„ neis ad diſputandum legibus con„ ſtringit.

„ Bellarminus igitur deſtituitur „ duobus veræ Theologiæ principiis, „ Scriptura, & Traditione, quibus, „ ut par eſt, ſuam propoſitionem „ ſuffulciat. Confugiendum illi eſt „ ad illam Scholaſticam Theologiam, „ quæ à Luthero per ludibrium ita „ definitur: *Scholaſtica Theologia eſt „ ea, quæ à Pariſienſium Sorbona „ mixtione quadam ex divinis elo„ quiis, & philoſophicis rationibus, „ tanquam ex Centaurorum genere, „ biformis diſciplina conflata eſt:* ſed „ confugium iſtud eſt aperta rei, qua „ de agitur, pernicies & certum exi„ tium. Quidquid hîc tractet, com„ mercii nihil habet cum illa Theo„ logia, quæ à Pariſienſibus noſtris „ definitur: *Divinarum Scriptura„ rum peritia recepto, quem Eccleſia „ approbat, ſenſu, non ſpretis ortho„ doxorum Doctorum interpretationi„ bus, cenſuris, & interdum aliarum*

di-

„ *diſciplinarum non contempto ſuffra-*
„*gio.* Hactenus *Launojus.*

Liberare quidem *Bellarminum* ab his objectionibus conatus eſt non ita pridem M. C. S. S. Theol. Doctor, in *Tractatu de Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ continente amplam diſcuſſionem declarationis factæ ab Illuſtriſſimis Archi-Epiſcopis & Epiſcopis Pariſiis mandato Regio congregatis A.* 1682. qui Leodii Anno 1689. apud *Mathiam Hovium* prodiit, Lib. III. peculiari capit. XI. quod de Johanne Launojo agit, p. m. 138. ſed infelici ſucceſſu. Adi ſodes librum.

VII. Neque tamen aſſentationibus ſuis id effecit, ut omnibus ſe probaret Pontificibus, ſed quorum infallibilitatem, ſupra Concilia ſuperioritatem, in omnes Chriſtianos Principes, Reges, Imperatores autoritatem illos deponendi, aliosque, ſi aliter bonum ſpirituale aſſerere non poſſet, inſtituendi, defenderat, ab illorum uno, Sixtum V. dico, quod

hanc

hanc in Poteſtates ſummas autoritatem indirectè tantum Pontifici competere ſcripſerat, omnis ferme ipſi ſcriptisque illius coram univerſa Eccleſia abjudicata fuit fides, & illa in Indicem Librorum prohibitorum fuerunt rejecta. Accipe quæ in hanc rem narrat vir doctiſſimus Abrahamus Scultetus de vita ſua p. 59. *Caſaubonus mihi ſancte conteſtabatur Frontonem Ducæum Jeſuitam Gallum appellaſſe Bellarminum de ſcriptis ipſius ſuper autoritate Papæ in temporalibus, cum Spiritalis Papæ autoritas laboraret: reſpondiſſe autem Bellarminum, ſi eſſes Romæ, aliter judicares, oportuit me ita ſcribere. Parum abfuit quin libri mei in inquiſitionem venirent.* Hiſce gemina ſunt quæ *Guilielmus Barclajus*, Bellarmini circa hoc argumentum antagoniſta, *de poteſtate Papæ*, An & quatenus in Reges & Principes ſeculares jus & imperium habeat, cap. XIII. p. 101. refert. *Nemo omnium, ut ante*

te dixi, Pontificiæ partis rationes aut diligentius collegit, aut argutius propoſuit, aut brevius & ſubtilius concluſit, quàm inſignis Theologus Bellarminus, quem honoris cauſa nomino, qui licet, quantum honeſte potuit, & plus etiam quàm debuit, Papæ autoritati in temporalibus tribuit, ſatisfacere tamen non potuit ambitioni imperioſiſſimi hominis Sixti V. quo ſe ſupremam in omnes Reges & Principes univerſæ terræ, cunctosque populos, gentes & nationes, non humana ſed divina inſtitutione ſibi traditam poteſtatem obtinere affirmabat. Itaque parum abſuit, quin omnia Doctoris illius opera, quæ hæreſin ſummo hodie ſucceſſu oppugnant, pontificia cenſura magno cum Eccleſiæ detrimento aboleret, ut illius Ordinis patres, cujus tunc erat Bellarminus, ſeriò mihi narrarunt.

„ Rem omnem ita exponit *Fuli-* „*gattus* Lib. II. c. VII. p. m. 123. „Quidam in urbe ægrè ferebant,

„Bellarmini nomen, antequam etiam „purpurâ illuſtraretur, eſſe apud „omnes dignationis tantæ. Crevit- „que moleſtia, cum à Sixto V. Pon- „tifice miſſus in Gallias fuit Theo- „logus Henrici Cajetani Cardinalis, „cui in Regnum illud Legatio tum „obvenerat. Et quia legatione adulta „indoluit Pontifex, à Cardinali ne- „gotia tranſigi conſiliis, quæ data „initio fuerant, dum Romæ jam a- „lia meditans novam excogitaverat „rationem agendi, quam ob cauſas „graves indicare aliis grande pericu- „lum fuiſſet; ſicut contra eam ingre- „di pede inoffenſo, res cenſebatur „ſummæ dexteritatis, ut ex hiſto- „riis aliorum peti poteſt; idcirco ea „opinionum diſſenſio inter Pontifi- „cem & Legatum vix intelligi Ro- „mæ cœpta eſt, cum id è ſententia „fluere judicarunt ii, qui Bellarmi- „ni obſcurare nomen cupiebant, rati „ſuæ gloriæ demi, quidquid cederet „alienæ. Itaque homines accenden-
dis

„ dis offenſionibus callidi, Pontifici
„ ſenſim adulari; ac ſpargere, (quæ
„ ſæpe inter aulicos eſt lubido fingen-
„ di) doctrinâ Bellarmini autoritatem
„ illam minui, quam CHRISTUS
„ Dominus Vicario ſuo in terris de-
„ dit ad Eccleſiæ dignitatem firmi-
„ tatemque; idque fieri in opinione
„ ipſius circa dominium, quod Pon-
„ tifici competit in res temporarias
„ Lib. 5. de Rom. Pontifice. Et quo-
„ niam ea vox percrebuit tempore,
„ quo cautè iſta jactari, ſi unquam
„ aliàs, debuiſſent; captata etiam oc-
„ caſione, dum peregrè Bellarminus
„ ageret, nonnulli urgere atque in-
„ ſtare auſi ſunt, quo ejus opera in-
„ hiberentur inſererenturque Catalo-
„ go Voluminum proſcriptorum, do-
„ nec, quæ in eis forent damnoſa,
„ egeri poſſent. Fraudem excepit even-
„ tus; nam ii, quorum invidia in occul-
„ to, adulatio in aperto erat, facile im-
„ petrarunt, ut hoc pacto in Bellarmini
„ libros ſæviretur. *Hæc Fuligattus.*

VIII. Romæ A. 1610. lucem adſpexit Bellarmini tractatus *de poteſtate ſummi Pontificis in temporalibus adverſus Guilielmum Barclajum* in quo Hildebrandinam illam hæreſin maxima animi vehementia tanquam pro aris & focis dimicans conatus eſt tueri. Verum hic liber non tantum variis Proteſtantium ſcriptis acutoque ſtylo eſt confoſſus, etiam Rege glorioſiſſimo Magnæ Britanniæ *Jacobo* doctrinam in illo comprehenſam ſingulariter impugnante, verum etiam in medio Eccleſiæ Romanæ primum quidem *Venetiis* ab Illuſtriſſimo Senatu, deinde cum in Gallias delatus eſſet, ab Ampliſſimis ſupremæ Curiæ Pariſienſis patribus damnatus & proſcriptus eſt. Decreti Pariſienſis formulam operæ pretium eſt hic repetere.

„Viſo in curia, convocatis Camera magna Criminali & edicti, libro „cui titulus *Tractatus de poteſtate* „*ſummi Pontificis in temporalibus* *ad-*

„ *adverſus Guil. Barclajum autore*
„ *Roberto S. R. E. Cardinali Bellar-*
„ *mino, impreſſus Romæ per Bartho-*
„ *lomæum Zannetti A.* 1660. cum à
„ Procuratore Regis generali deſuper
„ concluſum eſſet, & conſideratis om-
„ nibus &c.

„Curia vetuit vetatque ne quiſquam
„ cujuſcunque ſit qualitatis aut con-
„ ditionis pœnâ læſæ Majeſtatis in
„ delinquentem conſtitutâ, accipiat,
„ retineat, communicet, excudat,
„ excudendum tradat, aut venundet
„ dictum librum, qui falſam & exe-
„ crabilem propoſitionem continet,
„ quæ ad everſionem poteſtatum ſu-
„ premarum à Deo conſtitutarum &
„ ordinatarum pertinet, ſubditos acuit
„ ad rebellionem, & Principum im-
„ perio ſubtrahit ad machinandum in
„ eorum capita ditioneſque, ad tur-
„ bandam denique tranquillitatem &
„ quietem publicam incitat.

„ Jubet eos penes quos erunt dicti
„ libri exempla aut qui habentes no-

M 3 rint

„ rint confeſtim ſuis judicibus profi-
„ teri, ut poſtulantibus ſubcognito-
„ ribus Regiis in crimen anquiratur
„ & in ſontes ut par eſt animadver-
„ tatur.

„ Similiter prohibet ſub eâdem pœ-
„ nâ ne quiſquam Doctorum Profeſ-
„ ſorumque in Scholis, Collegiis aliiſ-
„ ve locis de illo pronuntiato tractet,
„ diſputet, ſcribat aut quocunque mo-
„ do illud alios docere audeat.

„ Jubet eadem curia ut arreſtum
„ hoc mittatur in omnes præfecturas
„ huic jurisdictioni ſubjectas ut ibi
„ publice legatur, in monumenta refe-
„ ratur & omnibus ſuis partibus dili-
„ genter obſervetur.

„ Mandat ſubſtitutis Procuratoris
„ Regii, dent operam ut exſecutioni
„ mandetur & de adhibita ſua diligen-
„ tia intra menſem Curiam certiorem
„ reddant. Pronunciatum die Vene-
„ ris, 26. Novembr. Anno cIɔ Iɔ cx.

Prolixior de hoc decreto Pariſienſi contra librum Bellarmini narratio peti po-

poteſt ex continuatione Hiſtoriæ Thuanææ lib. 3. p. 123. ſeqq. & lib. 4. p. 194. ſeqq. ubi etiam examen illius decreti A. 1611. à Papæ paraſitis editum viciſſim ad examen revocatur. Cæterum quod ad Bellarminianum ſcriptum attinet, faces jam accendebat carnifex, ut pœnas à ſcripto & ſcriptore ſumeret, niſi Reginæ animus & iteratis & non deſinentibus Jeſuitarum deprecationibus fractus illas extinxiſſet.

IX. Fuerunt, qui mala fide Controverſias hujus ſeculi Bellarminum tractaſſe ex eo probarent, quod adverſariorum argumenta validiſſime proponat, & frigidè ſatis ad ea reſpondeat. Jacobus Rex in proteſtatione Anti-Vorſtiana p. 173. ſeqq. Opp. *Fama proditum eſt neſcio quàm verum libros controverſiarum Bellarmini in Italia non permitti vulgo, propterea quod objectiones ejus nimis validæ ſint, reſponſiones autem nimis debiles.* Meminit objectionis hujus,

intra dentes licet muſſitans, *Theoph. Raynaudus*, Erotem. de bonis & malis libris Part. I. Erotem. XV. p. m. 222. Fatetur, litem hanc motam fuiſſe *Bellarmino* Fuligattus l. c. p. m. 129. & provocaſſe illos ad Cardinalis *Perronii* teſtimonium. *Ite*, hos dixiſſe, *ite ad Cardinalem Perronium, Virum, qui tanta cum exiſtimatione, gravitate, ſapientia ſæpe ore tenus, ſæpe ſcripto communes hoſtes profligavit; ipſius ſuper hoc ſententiam rogate; intelligetis querimonias, quibus damnum luget, quod Eccleſiæ inferunt Controverſiæ Bellarmini, jam hoſtium arma propè & non minæ tantum adverſus caſtra Catholicorum.*

Et prolixa quamvis epiſtola *Perronius* ſe excuſaverit, quam ex *Silveſtri Petra Sancta* verſione Lectori dabimus:

Retulit ad me Cardinalis de Joyeuſe, tibi narraſſe aliquos, famam & doctrinam tuam, Cardinalis Illuſtriſſime, verbis me obterere auſum eſſe,

&

& dixiſſe, futurum Eccleſiæ utilius, ſi Controverſias tuas imprimi nunquam permiſiſſes, eò quòd in eis argumenta Hæreticorum librentur efficacius, nec deinde infringantur ſatis. Hæc horribilis & ab ipſo parente mendacii effuſa criminatio affecit animum meum ſtupore inenarrabili, meque afflixit tanto acerbius, quantò certior ego ſum, non vocem modo, ſed ne cogitationem quidem ullam eſſe in me hujus mendacii ream. Imò & quæ dixeram, & quæ cogitaveram anteà, ubicumque demum vixi, eò collinearunt ſemper, ut oſtenderem, à me pluris æſtimari Opus Controverſiarum, quàm opus aliud quodcumque, quod pro Eccleſiæ defenſione vel à milleſimo anno in lucem prodierit. Itaque conſtitutus inter optimam conſcientiam, & iniquiſſimam criminationem, teſtem imploro oculum ipſum Dei, & precor, ut me deſpicatui habeat, ſi umquam talia ſim ego tam improbè locutus. Ut verò apud homi-

nes etiam me quoquomodo purgatum reddam, teſtes adfero res geſtas meas, & ex his tria ſumam potiſſimùm argumenta, majora ſpero, quàm ſit neceſſe, ut falſo & ab imponentibus inimicis confiсto crimine poſtulatus abſolvar. Primùm hoc à vero adeò diſtat, ut ſpe utilitatis, quam è Controverſiis Hæretici ſumere poterant, modò vellent cogitationem ad ipſam referre veritatem, his poſtremis annis eas verti Gallicâ dictione curaverim; quò ita Hæretici noſtri, quibus Latini ſermonis peritia non eſt, legerent eas ad frugem animæ, & ad Fidei triumphum: onus verò ei demandarim, qui mihi ab Epiſtolis, & in Eccleſiâ meâ Cantor, Chiatillonius nuncupatur. Neve imperium detrectaret, injunxi hoc etiam intentato metu inobedientiæ; manſit verò ad eum finem menſes plures, imò & annos, in ædibus meis Epiſcopalibus. Typographum etiam domi paratum habui, qui ſtatim ſumptibus meis eas

præ-

prælo daret. Cardinalis de Joyeuſe ipſemet vidit in Galliis tranſlationem hanc me jubente factam : & potes meminiſſe tu quoque litterarùm, quas Chiatillonius ad te intereà ſcripſit ex conſilio meo; quo æqui boniqueconſuleres, ut ea nova editio promulgaretur. Ad hæc in omnibus his, quæ publicè aut ſecùs ego ſubinde ſcriberem, Controverſias eaſdem, quo ad potui, commendavi perpetuò; & ut ſit fides dictis, Cardinali Joyeuſe & poſteà Cardinali à Camerino in Actis impreſſis Collationis meæ Fontis Bellaquei oſtendi hæc verba : Epiſcopus Ebroicenſis à Cardinali Bellarmino ſemper libens diſcet. Quo loco cùm gloriæ mihi tribuam, ſi Bellarminus ſit magiſter meus, meonè magiſtro maledixerim, idque mihi jure quiſpiam affinget? Aut non erubuerim moliri infamiam Viri laudati à me coram Galliâ universâ? In ſcriptis de Euchariſtiâ impreſſis, ſed nondùm editis, (finis enim eis & concluſio deeſt)

deeſt) videre Cardinales ii reſponſiones tuas à me defendi adverſus Hæreticos noſtros, nec alio eas nomine appellari, quàm aptas & doctas reſponſiones Cardinalis Bellarmini. Poſtremo Hæretici Galliarum, in tractationibus ſuis, appellant te Bellarminum meum; quod & pariter oſtendi in impreſſa Reſponſione Pleſſii Galli Hæretici, qui te itidem vocat Bellarminum meum. Cuncta hæc verò, quia typis data, poſſunt, quoties libuerit, oſtendi. Rurſus auditæ ſunt à me querimoniæ, Romam cùm veni, quoniam hic te partem Urbis tam præcipuam non reperi; & harum teſtes ampliùs biſſenos, omnes indubiæ fidei, adferre poſſum. Propoſui quidem P. Franciſco Suario, & aliis, rationes aliquot, quarum auctor ante me nullus fuit excogitatus, ut ſolverentur ea, quibus circa Euchariſtiæ res Hæretici implicant ſe & illaqueant. Sed mea dum promerem, illaudata non relinquebam, quæ promebantur abs te.

Quippe

Quippe addidi ſemper, ſi velimus viâ ingredi regiâ, & calle nunquam devio Veritatis, Fidei, Lectionis, Translationisque, aut Conſtitutionis Auctorum, nos itineribus inſiſtere melioribus haud poſſe, quam iis, quibus tu graderis; & apud Scriptores, qui ab annis quingentis floruere, nihil roboris inveniri, quod non ſit ſparſum & digeſtum in Voluminibus tuis. Quin imò potuiſſe adhuc te multa, quæ illi non paraverant, nova & utilia comminiſci. Haud inficior, me quibusdam locis uſum eſſe fundamentis aliis, & conatum oſtendere, nunc Auctores, quos adverſarii pro ſe laudant, minime Catholicos cenſendos eſſe, ſed contra Eccleſiam ingenia & calamos acuere; nunc eſſe vitium in codice; nunc traductiones pravas, vel minimè neceſſarias, aliterque colligi conſtruique verba vel potuiſſe, vel debuiſſe; nunc demum Auctores in iis partibus de Euchariſtiæ Sacramento non loqui. Sed enim hæc omnia propoſue-

ſueram ſubmittere cenſuræ tuæ, ex quo & dolui, quoniam Romæ abeſſes. Atque has lucubrationes meas Pater Suarius (qui ſcripſerat & ipſe de hoc Sacramento) legit, ſuiſque etiam magnis cohoneſtavit aſſenſibus. Quòd ſi has aut ſimiles voces ore innocenti prolatas toxico vel aliâ veneni tabe infecit aliquis, quò inter nos diſſidium oriretur, impediretúrque conſenſio animorum, quam ſperaveram, & ſpero utique, cùm videam, apud aures haud ita offenſioni pronas hæc ſparſa eſſe: hoc enimverò adſcribam ego iis, quæ peccavi aliter, ſed non culpa obſequii adverſum te, quem & Cardinalem Baronium ſuſpexi ſemper, velut i duo maxima ſeculi hujus & Eccleſiæ lumina. Quare à culpâ innocens, & reum me eſſe tantùm ex pœnâ ſentiens, ex quâ dolui, me ejuſmodi ſuſpicione aſpergi, hanc ſcripſi Epiſtolam; & Italicè quidem, non Gallicè, ut intelligeres meliùs ſenſum cordis mei, quod verè in his litteris idem

at-

atque in pectore loquitur; ſed & ſcripſi dictione meâ ineleganti; quia ſatius duxi, à te voces minus compoſitas vel cum faſtidio legi, quàm eum, qui mihi ab Epiſtolis Italicis, aut alium quemquam, habere conſcium hujus fœdæ criminationis. Differam porro rem vulgare, donec expedire judicaveris, ut veritas demum emanet pro mea liberatione. Ceterum quæ objecta, quia ejusmodi ſunt, quæ verbo negare ſit, negabo eadem ubique, nec mihi coram ullis à verecundiâ metuo: ſed coram me erubeſcet potius, quicumque hujus ſimul calumniæ, ſimul doloris mihi auctor fuit. Interim manus tibi deoſculor. Romæ IV. *Idus Febr.* M DC. V.

Ambiguus tamen hærebit Lector, ſi (α) in *Perronianis* hodiè legat: *Cardinalis Bellarminus eleganti & ſereno gaudet ingenio, quando reperit argumentum aliquod jam probe tractatum & examinatum ab aliis, ingenii ſui nitore mirificam illi lucem ſuperaddidit,*

dit, ſed cum incidit in rem obſcuram adhuc & intricatam, viſus eſt ingenio laborare. Paſſim utitur verſionibus Patrum Græcorum, Græco textu non inſpecto, quod miror cum Græcè doctus fuerit. Ambiguus hærebit (β) ſi intelligat, Cardinalem *Bentivolum* ſanctè teſtari *in Libro*, quem *Memorias Hiſtoricas* vocat, complectente res à Clementis VIII. Pontificatu uſque ad ſenectutis ſuæ tempora, p. 200. ſe ex ipſius Cardinalis *Perronii ore propriis hoc excepiſſe auribus de Bellarmini Controverſiis judicium.* Fidemne detrahemus Germani nos *Bentivolo Cardinali* Germanis parum amico? quo de ex epiſtolis ipſius nos monuit Per-Illuſtris atque Generoſiſſimus *Dn. Fridericus à Kospoth*, Trium Electorum Saxoniæ Conſiliarius Secr. &c. &c. &c. Vir ſummæ eruditionis & judicii propè divini, Dominus noſter gratioſiſſimus, jam Hoſpes exoptatiſſimus & magna veneratione proſequendus, quem DEUS ſer-

ſervet! aut *Guidoni Patino*, Gallo; adſtipulabimur, qui in Epiſtolis hanc de *Perronio* ſententiam tulit, *nullius conſcientiæ hominem fuiſſe.* Ita enim *Patinus* Lettr. XIX. p. 63. Eſſe Epiſcopum de Riez, qui moliatur vitam Cardinalium, qui ſanctè vixerint, & quæ jam de Cardinale de Berulle ſcripſerit, eſſe epitomen quandam. Ignorare vero ſe, an inter Sanctos Cardinales etiam ſit relaturus Perronium, qui inſignis fuerit nebulo; & mortuus lue Venerea. Certe ſi vera ſcripſit *Lipſius*, præfat. ad epiſtolas ſuas, *quod in epiſtolis detegamur & oculis ſubjiciamur pene nudi; & protrahat hominem maximè hæc ſcriptio*, ex epiſtolis Perronii Patinus fidem inveniet. Et Cardinali *Bentivolo* aſſenſum negabit nemo, ſi quis faſtum *Perronii*, quo hæreticos convincendi ſcientiam ad ſe ſolum rapiebat, attendat. Hunc etenim ſemper in ore habuiſſe, ſi de hæreticis confutandis incideret mentio: *Hos ſi con-*

 vinci

vinci cupitis, ad me perducite; at converſos ſi avetis, dirigite ad Epiſcopum Genevenſem; (FRANCISCUM DE SALES) Alphonſus Ciaconius, Ordinis Prædicat. & *Auguſtinus Oldoinus*, Jeſuita, in Vita Clementis VIII. Tom. IV. Vit. Ro. Pontif. p. m. 354. refert.

X. Monet *Launojus* & deteſtatur, 1. *malis artibus* quandoque Bellarminum ſua defendiſſe dogmata. Par. II. Epiſtol. I. ad *Raimundum Formentinum* p. m. 46. *Sed Bellarminus utriusque rationem eandem faciens egregiè* παραλογίζει, *atque ita de cauſæ ſuæ bonitate mirum in modum detrahit. Nam oſtendit, illam non niſi malis artibus defendi poſſe.*

2. *Decipere voluiſſe Lectores incautos.* P. V. Epiſt. II. p. 389. ad *Antonium Varillaum*: Ut apud Tacitum quidam magis eſt extra vitia, quam cum virtutibus; ſic & Heſſelii & Bellarmini Lemma eſt magis extra oppugnationes, quam cum præſidiis.

Ti-

Titulus eſt ſine re, quia nec Lucas, nec laudatorum à Bellarmino Patrum ullus eſt, qui de docenda tota Eccleſia loquatur. *Purus putus fucus eſt, idolum cavernæ: Hinc tam facilè negatur, quam facile aſſeritur, ſummum Pontificem, cum totam Eccleſiam docet, in iis, quæ ad fidem pertinent, nullo caſu errare poſſe.* Et negatio hæc validiſſimè confirmatur iis auctoritatibus, quas Bellarminus in probationem ſui lemmatis adducit, & quas ſupra expendimus. Verbo dicam uno: Lemma illud ab architectis ſuis non ſtatuitur, ut ulla afferatur veritas, ſed ut eo tanquam laqueo ſimplices irretiti teneantur. Mera eſt decipula, quæ incautos, bucones, & ſtolidos homines, quorum eſt infinitus numerus involvat. Et P. II. Epiſt. II. *ad Felicem Philippæum Broſſam* p. 101. Heu priſca & integra fides! Nicolai ratiocinatio apud Bellarminum principio & fine minuitur, & quod ſupereſt vaſtum & hiulcum opponitur:

& ſic incautis lectoribus parantur inſidiæ.

3. *Argumenta nullius virtutis ſæpius adhibuiſſe.* P. II. Epiſt. V. *ad Hadrianum Valentinum*, pag. 149. Nam auctoris hujus (de Bellarmino ſcribit) verba ſimpliciter referre ſimpliciter confutare eſt; uſque adeo veritati & æquitati adverſantur.

4. *Subleſtæ fidei eſſe in citandis Teſtimoniis.* Exemplis plurimis id *Launojus* probat, quæ ex copioſiſſimo indice epiſtolarum Launoji edit. noviſſ. Cantabrigienſis peti poſſunt.

XI. Quæ res effecit, ut in conflictibus publicis, quando Bellarmini autoritate premerentur Doctores Papæi, illi non adſurgerent, ſed ſuam ipſi objicerent Bellarmino. Ita *Valerianus M. EGO MEAM AUTORITATEM BELLARMINI CONTRA PONO*, apud *Honoratum Fabrum*, Soc. JEſu, in Apologetico Doctrinæ Moralis ejuſdem Societatis P. I. p. m. 309. qui in hanc rem

rem quoque conferre jubet Libellum Doctorum Gieſſenſium *Manes Bellarmini* inſcriptum p. 310.

XII. Neque hic prætereundus *Dominicus Gravina*, magnum inter Dominicanos nomen. Scripſerat *Bellarminus* ad ductum ingenii Lojolitici Monaſteriis Dominicanorum & Benedictinorum inhiantis (quo de vide ſcripta *Romani Hay*, *Aulam Eccleſiaſticam*, *Hortum Cruſianum*, & *Aſtrum inextinctum*; atque *Pauli Laymanni* juſtam defenſionem in Cauſa Monaſteriorum extinctorum) librum, cui *Gemitus Columbæ* titulus erat, in quo Ordines Religioſorum, quaſi à priſtina puritate deſciviſſent, ſeque indignos reddidiſſent, qui fundatorum ſuorum beneficiis amplius fruerentur, traduxerat: excepit hominem ex merito (quamvis Bellarminum autorem diſſimulet) illiusque fidem prorſus elevavit in libello, quem *Vocem Turturis* inſcripſit. Cui etſi *D. Riedelius*, Ec-

cleſiæ Landshutanæ Decanus, aut ſub Riedelii nomine Jacobus Balde, Jeſuita, *Caveam Turturis* oppoſuiſſet, Gravina *Vocem congeminantem Turturis* publico dedit, & Bellarmini hoc eſt Jeſuiticam fidem vivis depinxit coloribus. Et tametſi ſint qui in dubium vocent, utrum liber Ordinibus religioſis tam infeſtus à Bellarmino ſcriptus fuerit, uti ex perſonati *Philadelphi de novo lacu* ſcripto de modernis Jeſuitarum moribus monuit nos illuſtris Gerh. von Maſtricht, plerique tamen alii non dubitant eum autorem agnoſcere, neque ipſe hoc inficiatus videtur Bellarminus.

XIII. Incidit, dum has Dominicani atque Jeſuitæ altercationes refero, peropportune Dominicanorum Anteſignani *Melchioris Cani* de fide tam Theologica quam Civili Jeſuitarum in univerſum omnium grave judicium, quod ipſi Societatis JESU patres, ne memoriæ hominum excideret, conſervarunt in *Imagine Primi*

mi Seculi Societ. JEſu, Lib. IV. c. V. p. m. 497. quo etiam præſentem eclogam obſigno:

Inchoabatur Salmanticæ domicilium, curſu proſpero; quum ecce „repentina tempeſtas, unde minimè „debuit, à nobili concionatore, „Theologiæque Doctore ex S. Do„minici illuſtri familia, Melchior „Canus is fuit, memorandus ſua illa „abalienatione ab hoc ordine, quæ „extrema etiam ætate vix mitigari „potuit, cum ita florentem Socie„tatem videret: exemplum relligio„ſis hominibus, quo transverſos non „agat concepta ſemel altiusque de„miſſa in animum ſiniſtra opinio. „Fortaſſe & illud fuit: Cani opera „duas haſce relligioſas familias inter „ſe committere Satanas tentabat, ut „verſis in ſe viribus attererent invi„cem, mutuamque, in qua rerum „apud populos agendarum acies eſt, „hebetarent frangerentque auctori„tatem; eo majore populi offenſio-

ne,

„ne, quo clariora ab ipſis exſpectat „charitatis & conſenſionis exempla, „non inconſideratæ æmulationis. Is „igitur, quem dixi, Melchior Ca„nus, penitus eam opinionem imbi„berat, inſtare mundi noviſſima tem„pora, mox adfore Antichriſtum, „jamque prodromos ejus adeſſe no„ſtros homines deſignabat, quos om„ninò emiſſarios atque ſatellites An„tichriſti palam & non diſſimulanter „ubique appellabat: omnes enim „iſtiusmodi aſſeclarum notas in alum„nos novæ hujus familiæ aptiſſimè „convenire.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google